domitorum; pace tandem, quæ hodie rara eſt adeo non ſolum inter eos, qui in ſæculo vivunt, & mundi placita ſectantur, verum etiam inter eos, qui virtute præditi habentur, ac ſeorſim ab aliis vitam ducunt. Itaque cum Sancto hoc Doctore dicere audeo, pacem hanc quidem ab omnibus expeti, & exquiri; ſed pauciſſimos veras, certaſque ad illam acquirendam vias conſectati. *Abbas Trappenſis collatione ſecunda pro die Aſſumptionis Beatæ Virginis.*

Pax ibi non invenitur, ubi dominantur affectus.

Pax, ex D. Auguſtini ſententia, non aliud eſt, quam *tranquillitas ordinis*; & quemadmodum bonus ordo, & affectus ſimul non ſunt, quia cum hi confuſionem cieant, ubicumque ſunt, ibique diſſidia, ac rebelliones excitent, neceſſe eſt, ut requiem, & pacem expellant. Hoc in ſenſu inquit Scriptura, nullam impiis eſſe pacem, illis videlicet, qui ſuis indulgent cupiditatibus: *Non eſt pax, impiis.* Iſaiæ 48. quod non de illis intelligitur ſolum, qui id conſectantur, quod inter homines impietas appellatur; ſed generatim de illis omnibus, qui a Dei ordine recedunt, atque in vitæ ſuæ ratione nullum pietatis præbent indicium: quippe negantes Deo, quod illi debent, & violantes obedientiam, quam illi præſtare tenentur, graviſſimam committunt injuſtitiam; ita ut nullo modo habere poſſint pacem, quæ naturalis eſt effectus juſtitiæ. Ita vultiſne gaudere pace, quam quæritis, & optatis? ſumma officii fide voſmet in ordine Dei continete, ſequimini voluntates illius, efficite, ut moriatur in vobis, quidquid conſiliis ejus adverſatur; hoc eſt mortificate concupiſcentias veſtras, vitia veſtra, omneſque malos habitus, quos in mundi commercio contrahere potuiſtis, omnes illas animi ægritudines, quæ hactenus nonniſi procellas, ac tempeſtates in vobis pepererunt. *Idem.*

Pax, & requies in Deo tantum invenitur.

Sanctus Auguſtinus rationis ſuæ luminibus, & multo magis infelici ſua edoctus experientia, merito exclamat: Peragrate oceanum, terraſque, & quo vobis lubet, ite; attamen ubicumque fueritis, ſcitote vos infelices futuros, ſi aliud præter Deum quæſiveritis: nihil enim præter laborem, doloremque invenietis. Et alibi rationem adfert interioris hujus agitationis. Tu, Domine, inquit, pro te nos feciſti, & cor noſtrum nullam requiem invenire poteſt, niſi quieſcat in te. Qui in Domino quieſcit, & qui omnino ab illius pendet voluntate, quin fortunam mutet, fit beatus, certam facit pacem, ac tranquillitatem ſuam, & ſolide ſuam felicitatem conſtituit. Hic omnino ſuis dominatur affectibus, qui omnium turbarum noſtrarum ſunt cauſa. Hic omni caret invidia, quia cum nullo in diſcrimine omnes habeat dignitates, alienus honor illi negotium nequaquam faceſſit. Ambitione non afficitur, cum enim id unum expetat, Dei imperiis ſubeſſe, alios ſuis ſubditos intueri non cupit. Mœrore non perturbatur, infortunia quippe modo veluti divinæ juſtitiæ vulnera, modo veluti opus miſericordiæ, ſemper veluti effectus ejus voluntatis conſiderans, quæ ſuprema eſſe debet ſuæ voluntatis norma, numquam turbari, agitarique poteſt. Non timet ſuam ſibi elabi felicitatem, cumque hæc minime pendeat a bonis, quæ poſſidet, ab honoribus, & dignitatibus, quibus fruitur, quin illis adhæreat, ab illis divelli, eorumque jacturam facere non reformidat. Ita fortunæ ipſius mutatio felicitatis ejuſdem mutationem non gignit, & nunquam ſuam pacem, ac tranquillitatem amittit: *Abbas de Monmorel ſermone pro quarta poſt Epiphaniam Dominica.*

In terrenarum rerum poſſeſſione pax, & requies non invenitur.

Verum eſt; in mundo videntur hominis florenti fortuna gaudentes, & qui meritis, operibuſque ſuis majorem aliquando referunt mercedem: at ulline voti ſui compotes conſpiciuntur? Eſto quidem opibus, & honoribus diffluant, ac mundus ſe ipſum exhauſiſſe videatur, ut illos ad numeris omnibus abſolutam proſperitatem eveheret, verum num ideo contentum eſt cor eorum, nihilne ulterius deſiderant, beatoſne ſe putant, ac in ipſo felicitatis ſinu ipſam revera inveniunt felicitatem, & tranquilla pace fruuntur? Nonne e contra, Sanctus Chryſoſtomus inquit, in hujuſmodi ſtatibus pax infrequentius, ac difficilius reperitur? Nonne inter magnas opes magnæ acerbitates occurrunt? Quis eorum numerum recenſere poſſet, qui eo pervenerunt, ut eſſent calamitoſiores, utque ſuam infelicitatem apertius ſentirent? Attamen nihil reliquum fecerat mundus, quominus eorum ambitionem expleret, eoſque favoribus ſuis cumularet: ſed mundus ſimul favoribus ſuis immiſcuerat ſemina amaritudinum, quæ ab illis ſeparari non poterant & quæ brevi uberes doloris fructus erant paritura. Mundus illos opulentos, ac potentes efficiens, quidquid opis ſuæ erat, illis contulerat; verum non potuerat illis tribuere hanc ſaturitatem, hanc pacem cordis, ſine qua nec potentia, nec opulentia prohibere poterant, ne ſtatus eorum miſer eſſet, atque moleſtus. Quamquam felices viderentur, quot, quantaque deerant illis, ut eſſent? At enim illi ſibi tantum ſuccenſere debebant, inquies, neque enim infelices erant, niſi quod erant inſatiabiles. Ego vero reſpondeo: ſed cur licet mundi bonis cumulati, adhuc inſatiabiles erant? niſi quod, Sanctus Chryſoſtomus addit, hæc explorata, conſtans, æternaque veritas erat, mundi favores, quantumvis affluant, nunquam explere poſſe cor humanum, & efficere, ut inveniat pacem, & requiem, quæ in Deo tantum invenitur. *P. Gironſt in Adventu ſermone de Sanctis.*

Peccator nunquam fruitur pace.

Exploratiſſima veritas eſt, peccatorem nunquam frui pace; ſtatim ac ille affectuum ſuorum fræna laxavit, anima illius furenti procella agitatur. Triſtitia, incertitudo, pavor ſibi in illa ſuccedunt, quæ modo oppreſſa eſt, modo dilaniata, modo concitata. Vitia ſecum pugnantia ſuos habent obices, ſuoſque inimicos, eorum oppoſita negotia contraria expoſcunt conſilia, ſemet torquent, & fatigant, & quin invicem ſibi ſuppetias ferant, mutuo irritantur, & augent tumultum, qui eos comitatur. Peccator inter varia hæret anceps conſilia, plures ſibi proponit fines, & ab uno recedit, ut alterum amplectatur; eaſque experitur impreſſiones, quæ ipſum ad finem eumdem perducere nequeunt. Seſe in hanc partem vertit, ſed trahitur in alteram; ſeſe huic tradit objecto, at objectum aliud efficit, ut illum cœpti pœniteat; ſemper agitatus, vinctus, ſervus, nunquam ſibi æqualis, & conſtans, nunquam contentus. *Liber cui titulus: Animadverſiones in quædam religionis, Ethicæque argumenta.*

Deus unus cordi ſatis facere, eique veram pacem tribuere poteſt.

In nobiſmetipſis quædam experimur deſideria quibus ſatisfieri nullo modo poteſt; validam, vehementemque propenſionem, quæ nos ſupra ſtatum illum, in quo ſumus, attollit, quæ ad quemlibet obicem impatientia exardeſcit, & quæ nunquam invenit, ubi quieſcat, quia illi omnia ſe indigna videntur. Cum hujus ſtudii non aliud objectum ſit quam voluptas, quies, felicitas, quas anima in terris invenire non poteſt, in earum perquiſitione turbatur, & excæcatur, atque fallaces ingreſſa vias ut illuc perveniat, modo in ambitionem, modo in avaritiam, modo in prophanum amorem degenerat: quæ omnia, quin illi ſatisfaciant, eam magis irritant. Honores, opes, voluptates, & quidquid blandius illi exhibet mundus, poſſunt quidem rudi modo ad breve tempus eam fallere, ſed explere non poſſunt. Itaut quemadmodum inde judicium nobis ferendum eſt de infinita illius extenſione, fateri etiam debemus, eam nonniſi infinito bono, qualis eſt Deus, poſſe omnino acquieſcere. Inutile igitur eſt eas voluptates, & eam quærere felicitatem, cujus idea nos perperam decipit. *Ex libro cui titulus: Vitæ civilis officia.*

De fallaci pace, & lætitia impiorum.

Impiorum lætitia rapida eſt, quæ nihil habet durabile niſi triſtitiam, quam relinquit. Lætitia eſt perfida, deſinens in lacrymas; lætitia ſuperficialis, quæ cor ipſum non tangit, vel quæ illis extenſionem non implet: ea, quibus peccator egebit, erunt plura illis, quibus abundabit. Divites eſuriunt, Propheta Pſalm. 33. inquit, domus eorum plenæ ſunt, ſed cor inane: *Divites eguerunt & eſurierunt.* Voluptuoſi inter ipſas voluptates adhuc deſideriis conficiuntur; ambitioſus in ipſis honoribus inquietus eſt, & ſollicitus; orbis domitor dolet virtutem ſuam intra terrarum fines eſſe coarctatam, quæ ipſius cupiditati nimis anguſta videtur; & omnes deſperantes in mundo ſe inventuros id, quod inexplebili eorum ſatisfacere valeat deſiderio, naturam vel impotentiæ, vel crudelitatis inſimulant . . . . Igitur quam incomprehenſibile ænigma homo eſt? cur corde adeo magno ſenſus adeo humiles gerit? Cur mundi bona illius deſideria non explent, vel cur illius deſideria terrenis bonis occupantur? Nunquid æterna erravit Sapientia? nunquid eam vel terræ bona, vel cor hominis fallunt? Vel potius o Deus! hoccine fuit tui amoris conſilium? Ne hominem ſine te beatum efficias, univerſum terrarum orbem facis impotentem; atque homini oſtendens, ipſi non ſufficere mundum, eum fateri cogis, Deum ipſi eſſe neceſſarium: *Ex ſermone oblato Academiæ Gallicæ.*

Falſa mundi gaudia cordis Pacem non gignunt.

Mundani gloria ſuperficialis eſt; frontis quidem rugas delet, & faciei ſerenitatem inducit, verum ad cor ipſum uſque non penetrat. Mundanus felix eſt, cum extra ſe eſt, vel cum affectibus, quibus perturbatur, obnoxius eſt; ſed eo, quo ratio redit, momento, vel quo libertatis ſuæ poſſeſſionem recipit, ſtatim ac mundanus redit ad cor, & ſerio ſe ipſum excutit, ſtimulos invenit, vel ſaltem mœroris, ac triſtitiæ cauſas, quibus conficitur. Quot mortales poſt annos plurimos

in omni intemperantiæ genere traductos confeſſi ſunt, ſe nunquam retundere potuiſſe ſtimulos conſcientiæ, quæ illos indeſinenter torquebat? Non deſunt alii, qui tranquilli videntur, & pacem ſe habere putant; verum quis ſcit, utrum cor illos mendacii redarguat, & utrum interiori lanientur vermi, qui frequenter adeo impios depaſcit? At cum fidelis pacem habet in corde, omnia illi pacata ſunt, & anima gaudet tunc etiam, cum ſæviſſimis cruciatibus corpus afficitur . . . Mundani lætitia pura non eſt, reus eſt, cui cuſtos aliquam permittit in carcere libertatem, & nugas ſuppeditat, quibus detineatur; ſed reipſa ſuas trahit catenas, ac timere debet, ne in ſingula momenta judex, & carnifex præ foribus adſint. Cum hoc terrore poteſtne eſſe contentus? & quodcumque gaudii percipit, nonne amaritudine repletur per moleſtos effectus, qui peccatum ſubſequi poſſunt? *Ex tractatu quodam de conſcientia.*

De Pace conſcientiæ.

Conſcientiæ pax hominem in adverſis ſuſtinet; impius ſtimulos habet, quibus in proſperis agitatur; cum ipſo thronum aſcendunt, illum inter voluptates ſequuntur, quibus eam affundunt amaritudinem, quam ſæpe digerere nequit. E contra vero conſcientiæ pax mala mulcet, atque ærumnis dulcedinem miſcet. Mala terribilia non ſunt, niſi cum ſecum gerunt ultricis juſtitiæ characterem, quæ punit peccatum; ſed cum conſcientia, quin nobis exprobret crimina ultionem hanc promerentia, inceſſanter in Dei bonitate, & miſericordia confidit, tunc malorum natura mutatur: horrorem, qui ea concomitatur, amittunt, neque haberi poſſunt deinceps, niſi tanquam ſalutaria documenta a Deo contra ſuperbiam tradita . . . . . Emundemus hanc conſcientiam, eique pacem reddamus; hæc vitæ amaritudines mulcebit, ac in ipſis adverſis tranquillos efficiet, & hilares. Si hanc poſſides, iis te replebit conſolationibus, quæ percipiuntur melius, quam concipiantur, & exprimantur. Bona, honores, mundi voluptates eas non habetis delicias, quæ cum illis valeant comparari, quas ſecum adfert Deus in animam, in quam ingreditur, & cui adhæret. Hæc Dei pax, quæ gratiæ, & gloriæ fons eſt, & quæ nos in hac vita, & in omnem æternitatem beatos efficit, deinceps unicum fit noſtri amoris, noſtrorum deſideriorum, & affectionum objectum, *Idem.*

Extra Deum nulla vera pax eſt, nulla lætitia.

Quære ubi lubet, & invenies ſolam virtutis dulcedinem; bonæ conſcientiæ teſtimonium, & animæ pacem confirmare cor, ejuſque tranquillitatem inter hoc æſtuoſum mundi pelagus ſervare poſſe. Pietas a vitæ malis non præſervat, & paupertas ſæpius ſanctorum pars eſt, quam nocentium: ſed ſanctitas interius auxilium ſuppeditat, quod neque ex pravo ingenio, neque ex tyrannide mortalium pendet. Pax, quam illa præſtat, nullis eſt obnoxia tumultibus, fluminibus ſimilis, ſemper fluit, quamvis venti perflantes aerem perturbent . . . Conſcientiæ puritas ad pacem hanc conſtituendam omnino neceſſaria eſt. Rea conſcientia poteſtne perhibere nobis teſtimonium, quod utilitati ſit, atque ſolatio? Hoc ſi præſtat, dupliciter mala eſt, quod ſibi tunc etiam innocens videatur, cum ſexcentis eſt criminibus coinquinata. Illuſiones illius certiſſime diſſipabuntur, & fallacem hanc malaciam immedicabilis agitatio ſubſequetur. Bona conſcientia ſola eſt, quæ moraliter certos facere nos poſſit futurum, ut peccatorum veniam conſequamur; at ſi Dei verbis non loquitur, quidquid ait, eſt, inutile; ſola bona conſcientia nobis præbere poteſt hoc teſtimonium, quod noſtram tranquillitatem, & gloriam conſtituit. Facito quodcumque lubet; dum vitium, & peccatum regnant in conſcientia, vera pax haberi non poteſt. *Idem.*

Supremus rerum Dominus unicum æternæ felicitatis objectum non vult, nos vel uno momento ſine ipſo pacatos eſſe, atque felices. Creata omnia, quibus uti poſſumus, ut noſtris affectibus indulgeamus, ille in ſuppliciorum noſtrorum inſtrumenta convertit, omnia conſilia noſtra, quæ magis blanda ſunt, omnes noſtræ ſpes magis ſuaves phantaſmata ſunt, & inania ſpectacula, quæ fingit imaginatio, ut laboribus noſtris dulcedinem, quandam affundat. Omnes iſtæ voluptates, honores, bona, dignitates, quæ cupiditatem noſtram ſaturare debuiſſe videntur, noſtram augent miſeriam, & cupiditatem irritant. Deus ut injuſtam mundanorum ulciſcatur prælationem, permittit, ut quidquid videtur illos diutius tranquillos facere debere, eos inquietos, & infelices efficiat. Fruſtra Fortunam, vel honorem nobis tanquam felicitatem proponimus, hæc noſtra tormenta fiunt; fruſtra in voluptatibus beatitudinem collocamus; quidquid ſuavius, & jucundius eſt, non longe diſtat a nauſea, & nulla eſt lætitia, quæ in mœrorem non convertatur. Ita voluiſti, Domine, omnem animam in affectibus ſuis inordinatam, ac injuſtam ſuum ſibi eſſe ſuplicium. Haud ita; nemo in mundo felix eſt. Aliquis ſibi quidem felix eſſe videtur: ſed heu! ſi curarum illius, pœnarumque myſterium penetrare poſſes, ſub cortice hoc, ubi nil videtur, virtus, & corruptionem conſpiceres. Videres patrem offenſum filio, virum ab uxore diſſidentem, amicum amico inſidiantem, videres ſub ſpecioſis integumentis pacta violata, prodita amicitiæ jura, affinitatis vincula fracta, arctiſſimas cognationes odio, & perfidia divulſas, & nitidiſſimas etiam fortunas omnem jucunditatem per eas, quas complectuntur, acerbitates amittere. *P. Maſſillon.*

Peccata præterita pacem & lætitiam peccatorum perturbant.

Quantumvis mundi illecebris, deliciiſque abditus ſit peccator, tamen præſentes, quas illic invenit voluptates, non ita animam illius occupant, ut aliquando ſaltem oculos non convertat ad præteritos ſuarum iniquitatum annos. Hi tenebrarum dies, quos abſumpſit, non ita ex animo illius elapſi ſunt, ut triſtem eorum recordationem ſecum tacitus aliquando non reputet. Importuna flagitioſæ vitæ ſuæ imago, quæ illum fatigat, ingens illa congeries criminum, quæ ſubinde per intervalla ſeſe illius obtrudunt conſcientiæ, majorem ſemper, quam antea, illi horrorem cient; quippe omnia illa ſcelera, quæ olim diviſis patrabat temporibus, uno oculi ictu intuetur. Tot gratiæ neglectæ, tot violatæ promiſſiones, tot prophanata Sacramenta, tot cœleſtes afflatus contempti, tot amica momenta vitio ſuo ſibi elapſa, tot infirmitates, de quibus gloriabatur olim, & quarum nunc illum pudet, totidem monſtra ſunt, in quæ peccator ne oculos ferme quidem auderet attollere, quin graviſſimo dolore, acerbiſſimiſque ſtimulis pacem ipſius perturbantibus conficeretur. Si præteritum reſpicit tempus, ſe præbet infelicem; & ut pacate imaginaria ſua felicitate fruatur, non cogitet, opus eſt, omni careat ſenſu veluti ſtupida animantia, & vita prorſus carnalis corporis ejuſdem rationem ipſius omnino vecordem efficiat. *Id. ſermone pro ſecunda Quadr. Domin.*

Nihil in hoc mundo perturbat pacem juſtorum illam in Deo collocantiũ.

Ineffabilis Dei bonitas ſexcentas ſuggerit animæ fideli conſolationes in eo, quod mundanis negotium faceſſit: nihil eos terret, nihil moleſtia, vel dolore afficit, præter peccatum. Optima illos non tentat fortuna; graviſſima illos non ſternit adverſitas; nullo habet in diſcrimine ea mala, quæ mundi inconſtantia illis parere poteſt; ac ſine ulla perturbatione videt funeſtas mobilis hujus fortunæ vices, quæ in miſeris lapſibus, quos gignit, recentia ſemper mortalibus præbet ſpectacula. Hæc anima juſta ibi recenſionem quodammodo fieri videtur hominum prorſus terreſtrium, qui ſemper intenti ſunt, ut ſe ipſos fallant, ut ex alienis creſcant ruinis, qui ſemper bellum gerunt, qui nunquam pacem habent, qui in id ſollicit omnes induſtriæ, ætatiſque nervos intendunt, ut competitorum ſuorum irritent conſilia, ut æquales poteſt terga relinquant, ut ſuperioribus coæquentur, nova ſemper ambitionis argumenta animo revolventes, ſemper agitati, numquam tranquilli. Hoc animæ juſtæ in præſenti mundi ſtatu conſiderant, & tot injuſtos, inutileſque motus admirantes, ſe beatas putant ea in tranquillitate, quam ſua ſibi comparat virtus; dum interim non ſine quadam miſerationis ſpecie vident mundanos triſtes, mœrore confectos, agitatos, quin unquam pacem inveniant, & quietis dulcedinem guſtent. *Idem.*

Abhortatio ad peccatores, ut quærant in Deo potius, quã in hujus mũdi bonis ſuã pacem & requiem.

Vos, o peccatores, qui inter has turbas, atque agitationes vitam traducitis, eamque ſecundum mundi placita conformatis, mementote fluxa hæc bona, quibus occupamini, inconſtantes has voluptates, quas conſectamini, ſocios eſſe infideles, quin ad aliquod tempus vos ſeducunt, & qui non multo poſt ſæviſſimis vos obruunt curis, ac funeſtiſſimis tumultibus laniant . . . . Numquid ergo tanta hæc mala negligere poteſtis? Cordi veſtro fallacis hujus mundi nihilum poteſt ſatisfacere? Cum illum ſerio conſideratis, quid ibi invenitis, niſi horridum meritorum, ac virtutum inane, atque juges agitatæ conſcientiæ amaritudines? *Idem.*

Fides, quæ adhuc in peccatore ſupereſt turbat pacem, quã in mundi voluptatibus invenire ſe putat.

Equidem ſcio fidem in corde ſimul cum peccato permanere adhuc poſſe: ſed fidei certitudo in hoc peccatore eſſe non poteſt, niſi fons curarum, acerborumque ſtimulorum, quibus torqueatur. Ubique fidei certitudo voluptuoſum hunc hominem torquet, qui ſenſuum voluptates cum mortificatione Chriſtiana conciliare non poteſt: avarum hunc torquet, qui toties videt amorem ſuum perituris bonis addictum; ambitioſum hunc torquet, qui contra Evangelii leges rebellat: ita ut hæc fidei certitudo, quæ omnes bonorum virorum curas mulcet, ac diſſipat, in vobis, o peccatores, tumultus, timores, & mœmores inſtauret, & hæc fidei lumina, quæ juſtis ſunt conſolationis

fontes, in vobis ultricia ſunt lumina invitis detegentia id, quod nunquam ſcire velletis. Fides veſtra in anteceſſum eſt pœna veſtra, atque religioni veſtræ cogitatio vobis infernus eſt. *Idem.*

Non extremum, quod fides in corde bonum producat, eſt ibi ſolidam, manſuramque pacem ſtatuere. Omnes in nobiſmet æquitatis, & rectitudinis principia gerimus: & in lucem prodimus non ſine optionis ſenſibus erga bonum. Etiam ſi ultro ad virtutem non ferimur, hæc tamen ſeſe nobis offert ſub ea ſpecie, qua commendatur; atque in ipſis noſtræ conſcientiæ receſſibus neſcio quid ſentimus, quo neminem, qui virtute careat, felicem eſſe poſſe admonemur. Hic quidem naturalis eſt ſenſus, verum certitudo non eſt. Itaque quocumque proficiſcantur, & quemcumque in terris locum teneamus, ſemper in nobis importunum gerimus Judicem, qui nos ab erroribus revocet, & acribus redargutionibus ſuis inter ipſas voluptatum delicias infelices nos faciat. Hæc ſors eſt peccatoris. Ubique invenit mœroris, timoris, ſollicitudinis cauſam, qua torqueatur, Infelix eo quod naturalem inclinationem ſuam vincere non poteſt, longe infelicior, quod conſcientæ ſuæ ſtimulos obtundere nequit. *Idem.*

Peccator in terrenis nunquam ſolidam invenit pacē.

Peccator quo magis mundum amat, eo minus vera pace perfruitur: tunc enim curæ illius magis creſcunt, deſideria irritantur, turbatur ſpiritus, imaginatio confunditur, ſenſus aberrant, ac ipſe ſua feſtinatione torquetur. Terreſtris, & carnalis amoris ipſius magnitudo fons eſt omnium tumultuum, ac dolorum ejus; quo magis diligit mundum, eo majorem illi cogitationes ſuæ pariunt impatientiam; quo magis diligit mundum, & levis aliqua jactura dolore illum afficit, eo magis caſus, quo ab eodem divellitur, illum angit; quo magis diligit mundum, eo magis neceſſariæ eidem fiunt voluptates, & quemadmodum nulla ei ſatisfacere poteſt, eas omnes execratur, quamvis eas relinquere nequeat. Mundus cum omnibus illecebris ſuis eum tædio afficit, mundus cum omnibus honoribus, atque ſolatiis illum fatigat, eique nauſeam parit, & ipſe pacem, & requiem, quam perquirebat, nunquam poteſt invenire. *Idem.*

In mundi ſectatoribus ſpecioſa aliquando videtur pax ſed pax iſta fallax eſt.

Scio equidem, mundum, quantumvis laboribus, curiſque diffluat, poſſe tamen habere ſuas voluptates, atque inter mœrores, & pœnas, tumultus, ac ſollicitudines, ſemper quemdam adeſſe mundum, qui apparenti pace, & tranquillitate fruantur. Verum diligentius excute hos homines, qui adeo pacati videntur, quid ibi videbis? corda curis, timoribuſque laniata, conſcientias ſtimulis deroſas, & agitatas. Propius inſpice hos vultus, qui tibi contenti, ſerenique videntur, eoſque intus turbatos, & inquietos eſſe cognoſces. Audi hos homines eo tempore, quo tibi pacatiores videntur, & quo illos hilares, lætoſque arbitraris, felicibus illis momentis, quibus affectus animo inducias quaſdam videntur relinquere, & corpori aliquam requiem concedere, quid tibi dicunt? Fatentur, quantumvis alacritatem ore præſeferant, ſe nihilominus intus agitatos eſſe; ob fortunæ ſuæ curam eſſe ſollicitos; ſollicitudinem, qua aliquem honoris gradum obtinere conantur, non pati ut vel ullam guſtent voluptatem, vel requiem capiant, ac ſe in violento, coactoque ſtatu verſari. Ajunt quidam, ſe votis omnibus felix illud momentum expetere, quo honeſte rebus terrenis vale dicant; alii inquiunt, ſe vitæ magis frugi, ſanctæque initium velle tandem aliquando facere, atque his verbis fatentur, ſe inutili labore in mundi hujus bonis pacem quæſiviſſe, neque eam invenire potuiſſe. Vos ipſi, qui me auditis, o mortales, nunquid veſtra felicitas aucta eſt, cum auctæ ſunt opes, & honores aucti? Appendite hinc quidem amaritudines omnes, quas vobis attulit mundus, inde vero voluptates omnes, quas vobis procuravit, & videte, an illæ his ſuperentur. Conſcientiam veſtram interrogate: nunquid inter ſuaviſſimas delicias non ſentitis, Deum vobiſcum non eſſe? Eſtiſne de hoc mundo contenti, & citra conſcientiæ latratus eidem ſervitis? Contigitne vobis unquam, in ſumma pace, quam vobis mundus procurare potuit, tranquillam conſcientiam vobiſmet concinnaretis? *Idem.*

Homo extra Deum requiē & felicitatem quam invenire non poteſt.

Cor hominis factum eſt, ut amet, cumque in ſe ipſo nihil invenire valeat, in quo ſuam conſtituat felicitatem, inde egreditur ſperans ſe alibi inventurum, quod ſibi deeſt. Cum temporalia bona prima ſint objecta, quæ ſeſe illi offerant, illis ſucceſſive adhæret ſpe adductus, non defuturam illic ſibi felicitatem, ad quam ſe natum ſentit; ſed quam fruſtra ſemper inquirit, donec non adhæret Deo ſuo, qui unus deſideria ejus poteſt adimplere. Hic enim unus eſt, S. Auguſt. inquit, quem nos propter ipſum diligimus, & beati eſſe non poſſumus, niſi poſſidentes illum, qui eſt omnium bonorum finis, ac eſſe debet terminus omnium deſideriorum. Pro te nos feciſti, magnus ille Doctor ajebat, & cor noſtrum ſemper erit inquietum, donec requieſcat in te. *Abbas de Monmorel Homil. in 14. Dominicam poſt Pentecoſten.*

De pace, quam Dei filius dat Apoſtolis ſuis.

Cognoſcere debetis, quantum bonum ſit iſta pax; oportuit enim, Dei filium in mundum venire, ut illam afferret, laborare, ut illam procuraret, prædicare, ut promulgaret, mori, ut ſignaret, reſurgere, ut ſartam, tectamque faceret, ac tandem in cœlum aſcendere, ut illius poſſeſſionem nobis certam efficeret.... Jure quidem, Salvator adorabilis, dixiſtis Apoſtolis tuis, te illis pacem relinquere longe aliam ab ea, quam mundus dare conſuevit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Joann. 14. Mundus pacem quidem promittere poteſt, dare autem non poteſt; ego vero hanc do vobis eadem facilitate, qua illam vobis promitto. Mundus imperfectam tantummodo dare poteſt pacem, ego autem illam do vobis abſolutiſſimam. Mundus brevi manſuram, ac ſexcentis amaritudinibus commixtam pacem dare poteſt, ſed illa, quam hodie do vobis, conſtans eſt, æterna, atque cum omni felicitatis genere conjuncta: *Pacem meam do vobis &c. Fromentiere, ſermone hujus argumenti.*

Antiquorum Philoſophorum error de ratione pacē acquirendi.

Philoſophi ſcite quidem, ac ſapienter viam excogitaverant ad pacem acquirendam, ſi ad hanc mortalibus pervenire licuiſſet; ſi videlicet nihilo eorum cuperent, quod in ſua poſitum poteſtate non eſſet: hoc enim pacto hominis cupiditatibus omnino ſatisfactum fuiſſet; nihil enim exoptaſſent, quod ipſi ſibi tribuere non potuiſſent. Verum non advertebant, animam non eſſe deſideriorum ſuorum arbitram, eorum quædam eſſe naturalia, quæ divelli omnino non poſſunt: illam facere, exempli gratia, non poſſe, quominus ſe non falli, nullum pati malum, & nunquam mori cupiat; atque fieri nequaquam poſſe, quod hoc bonum cupiens ſit in pace, dum nondum poſſidet illud, quoniam voluntas ejus contenta non eſt. *Ubi pax*, Sanctus Aug. ait, *ubi requies, ibi finis appetitionum*. Melius profecto argumentati fuiſſent Philoſophi, ſi dixiſſent, ad pacem obtinendam certiſſimam eſſe viam, omnia deſideria ſua Dei beneplacito ſubjicere, atque unum illum exoptare. *Eſſais de morale tom. 4.*

Falſa pax impiorum.

Sanctus Bernardus ait, charitatem perfectam consummatamque iniquitatem in hac re convenire, quod utraque parit ſecuritatem: *Sicut perfecta charitas expellit timorem, ita conſummata iniquitas dat ſecuritatem.* Peccatores igitur ſunt in pace: ſed, bone Deus, in qua pace! Quam magis funeſta pax iſta eſt ipſo bello! Præſtaret, quod peccatores cum Deo, ſuaque conſcientia bellum gererent, quam hac pace gauderent. Præſtaret, quod ſceleris imago ipſorum lætitiam, & voluptates perturbaret, quam in hac requie vitam traducerent. Hæc eſt inſenſibilitas, hæc eſt ſtupiditas deplorabilis. *De S. Martino in Quadrageſima.*

Deus peccatorum pacem ac lætitiam perturbat.

Deus benignam exercet violentiam erga complures, ut illi etiam contra affectuum ſuorum oppoſitionem in uno ipſo requiem inveniant. Aliorum infringit conſilia, aliorum fortunas evertit, adverſatur, ne eorum conatus e voto cedant; illos inutili terrenorum bonorum perquiſitione fatigat: contra illos mundum ſuſcitat; efficit, ut ubique infidelitatem, atque injuſtitiam experiantur: illos ſuffundit opprobrio, & ignominia, ut eos ad ſui perquiſitionem impellat: denique non ſinit, eos ullam in mundo invenire pacem; quæ res illos cogit ad ipſum confugere, ac ſemet in ejus ſinum conjicere. Illic unice pacem inveniunt, quam inutili labore alibi quæſiverunt, alia quælibet via præcluſa eos in cœli viam ingredi cogit. *Ex ſpecimine Ethicorum tom. 5.*

Plurimi fallacem pro vera pacem inveniunt.

Non deſunt, qui veram non invenientes pacem, pacem fallacem inveniunt, quæ utiles conſcientiæ ipſorum ſtimulos ſedat. Inveniunt confeſſarios, a quibus falluntur, & qui illis pacem annuntiant, ubi nulla pax eſt; inveniunt, qui probent fœdus ab illis inter propria commoda, affectus, ambitioſos conatus, atque vitam, quæ Chriſtiana, ac pia creditur, ſancitum: inveniunt, qui plaudunt iis omnibus, quæ ab illis fluunt, ut vel ſibimetipſis, vel filiis, vel affinibus ad dignitates, & bona, vel ſæcularia, vel Eccleſiaſtica aditum faciant. Avaritia, vel ambitio, S. Auguſt. inquit, culpa vacare creduntur, cum in ea, quæ palam vitioſa ſunt, non impellunt. Beneficia beneficiis aggeruntur, ad illa ſine ulla vocatione, ac ſine ſincero ſeſe vovendi Deo, ac ſibimet vivendi deſiderio obrepunt. Attamen nunquam deſunt confeſſarii, qui iſta negligant, dummodo extrinſecus ab inſignibus ſceleribus immunis ſis, ac ideo in pace vivis. *Ibidem.*

Profecta pax fruſtra in mūdo quæritur.

Irrito ſane labore pacem in mundo quæris: homo ſemper in jugi bello vivit; bellum extra, bellum intus, circumundique bellum eſt, in animo rebellio eſt, tumultus in corde. in affectibus defectio: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Job. 7. Cum Deus ſit centrum cordis humani, in uno illo tantum homo hanc requiem, & pacem invenit, *quam mundus dare non poteſt.* Quære, omnia ſimul collige terræ bona; te beatum nequaquam efficient, non enim tibi auferent cauſam tuæ infelicitatis, videlicet cupiditatem: *Omnes res temporales, non conferunt veram felicitatem quia non adimunt cupiditatem.* Hi amant, quod non habent, illi quod habent, non amant, neutri felices ſunt, non enim contenti ſunt. In te uno, Deus, vera invenitur felicitas; nam quantumvis vaſtum, & infinitum ſit cor hominis, tu illius vota explere, & deſideriis ſatisfacere vales. *Specimen ſermonum pro ſecunda Quadrageſima Dominica.*

Beatorū pax, & tranquillitas in cœlo.

Altera res, quæ gaudium magnum in voluntate beatorum gignet, erit quies quædam incomparabilis, & ſatietas ſine faſtidio, quæ illos pacatos, & contentos modis omnibus reddet. Hic certe in terris nemo eſt ſua ſorte contentus, nemo, qui non multa cupiat, quæ obtinere non poteſt. Inde omnes famelici, omnes ſitibundi, omnes inquieti vivunt. Neque mirum id videri debet, cum animus noſter ſit capax boni infiniti, & ſempiterni, & res creatæ parvæ ſint, & fragiles, quæ diu permanere non valent. Quale igitur gaudium erit illi homini, qui ſeſe in loco conſtitutum cernet, ubi plane omni ex parte contentus vivet? ubi nihil deſiderabit, nihil timebit, nihil requiret, nihil ambiet amplius? O pax exſuperans omnem ſenſum, quam mundus non poteſt dare, & quæ ſola invenitur in cœleſti Jeruſalem, civitate Regis pacifici, & magni. Ad te ſuſpirat peregrinatio noſtra, quæ plena tentationibus, & ſollicitudinibus in ſola tui memoria, & expectatione aliquantulum requieſcit. *Bellarminus de æterna SS. felicitate tom. 4.*

Quomodo Dei filius nobis pacem dedit & procuravit.

Mirum profecto, fideles, eſt, quod homo ſecum ipſe minime conſentiat: oportuit, Deum de cœlis deſcendere, ut in homine pacem ſtatueret. Verum quomodonam hanc illi Deus dat pacem? Nonne hoc Spiritus Sancti oraculum eſt, hominis vitam ſuper terram eſſe bellum juge? Nonne Sanctus Paulus ad Epheſ. 6. nos admonet, formidabiles nobis hoſtes eſſe; nobis prælium non eſſe cum hominibus ex carne, & cruore compactis, ſed cum dæmoniis, quibus tenebricoſi hujus mundi eſt imperium? Denique nonne domeſticos habemus inimicos? *Inimici hominis domeſtici ejus.* Mich. 7. Quomodo igitur pax poteſt haberi? Hæc omnia vera ſunt. Heu! quomodo igitur Dei filius hanc, de qua loquimur, nobis attulit pacem? Hoc videlicet, quia Jeſus Chriſtus caro factus hominibus ſuppeditavit, quidquid ad veram acquirendam pacem eſt neceſſarium; illis enim gratiam ſuam tribuit, illos ſuo munit exemplo, itaut homo duplici hoc auctus præſidio in ſemet deſtruere valeat, quidquid prohibere poteſt, ne vera tranquillitate fruatur. *Pater Claudius Maſſon in adventu; ſermono de Nativitate Domini noſtri.*

Cupiditas, & effectus noſtri prohibent, ne interiori pace fruamur.

Propria cupiditas noſtra, noſtrique affectus domeſtici ſunt inimici noſtri, quibus utuntur dæmones, ut in nobis funeſtum ſemper diſſidium foveant. Hujus veritatis non quærendum eſt aliud teſtimonium, quam noſtræ conſcientiæ; verum ut hac de re melius adhuc noſmetipſos perſuadeamus, ſatis eſt ad breve momentum extra noſmet egredi, & quid in mundo fiat intueri. Quam pacem exempli gratia guſtare poteſt ambitioſus, interdiu, noctuque occupatus cogitando, qua arte votorum ſuorum ſummam conſequi valeat? Itinera, labores, ſollicitationes, ambages, preces, ſordida etiam abjectio, omnia tentanda ſunt. Nunquid obtinuit, quod expetebat? Ne credas ideo cupiditatem ſuam cum ipſo inducias facere; novi exerendi ſunt conatus, ut altius aſſurgat, novaque pericula ſubeunda ſunt. Quæ turbæ, quæ ſollicitudines? Numquid beatior eſt ſors avarorum? Quid ait Jeſus Chriſtus Matth. 13. de divitiis loquens? *Sollicitudo hujus ſæculi, & fallacia divitiarum.* Non ait *Divitiæ*, ſed ſollicitudo, & fallacia divitiarum, ut innuat tumultum, quem ſecum naturaliter afferunt. *Idem.*

Creata omnia pacem inquirunt.

Creata omnia, ea etiam, quæ maxime ſenſu carere videntur, pacem, & requiem inquirunt; quæ res efficit, ut tanto ardore, ac impetu ferantur in centrum atque in jugi violentia, & agitatione perſeverent, cum ab eodem ſeparata ſunt; non enim, niſi centro ſuo eam, quam inquirunt, requiem poſſunt invenire. Humanum cor nihilo impenſius, quam aliæ creaturæ, pacem optat, neque minori cum ſollicitudine illam perquirit. Omnes illius conatus, ac motus non alium, prater hunc, terminum habere videntur, ſed quoniam in centrum ſuum nequaquam, ut illæ, neceſſaria fertur determinatione, ideo homines pacem inquirunt variis rationibus, ac variis adhærent objectis illam inventuri. Fruſtra impii creata, terrenaque bona conſectabuntur; pacem, quam quærunt, non invenient. Poſſidebunt illi quidem terræ bona, honoribus cumulabuntur, vitæ voluptatibus perfruentur; ſed inter has voluptates cor eorum ſexcentis erit confectum curis; quæ hos illi honores non ferendos efficient; ſed inter hæc bona, & has opes cor habebunt omni ſolatio vacuum: & non ſolum in his objectis requiem, & pacem quæſitam non reperient, ſed mœrore, tumultu, amaritudine replebuntur. *Auctor Anonymus.*

Deus impiorū pacē per eorū peccata perturbat.

Deus ex ipſis impii peccatis obices haurit, quibus utitur prohibiturus, ne ille pacem inveniant. Impius pacem habiturus a Deo defecit, eamque inventurum ſe putavit, ſi affectibus ſuis ſatisfaceret, atque terrena hæc bona conſectaretur; atque hanc ipſam ob cauſam Deus pacem illius perturbare gaudebit. In impii peccato tria conſideranda ſunt, cauſa peccati, peccatum ipſum, & objectum peccati: cauſa peccati, illius videlicet affectus; peccatum, quæ eſt rebellio contra Deum; objectum peccati, videlicet vitæ hujus bona. Tria, per quæ impium pacem ſe inventurum ſperabat, & quæ nihilominus ſunt tria illa, quibus utitur Deus effectur, ne ille hanc conſequatur. *Idem.*

Quid agis, ut internus hoc bellum ſedes, ut rebelliones ad pacem revoces, ut cordis tui quietem procures? In affectuum tuorum partes diſcedis, ac illis omnia poſtulata concedis, & ſperas te hoc pacto tumultus omnes ſedaturum, & cordi pacem, quam amiſerat, redditurum? Quam longe falleris & quam cito ſenties, pravam te arripuiſſe viam, ut tibi pacem procurares. Nunquid hoc eſt diſſidentes conciliare partes, omnia alteri concedere, alteri vero negare omnia; fides, & ratio tua nonne turpi huic diviſioni adverſabuntur? Nonne indeſinenter illæ tibi objicient hujus prælationis indignitatem, qua ipſarum lenitati, & ſapientiæ tuos affectus præponis? Nonne inter tenebras, in quas te tui trahunt affectus, tibi præferent facem, ut funeſtos flagitiorum tuorum exitus intuearis? Nonne inter voluptates tuas te perturbabunt adſpectu malorum, in quæ te ipſum præcipitem agis? Poteritne cor tuum hunc intuitum ſuſtinere, quin perturbetur; atque tot inter tumultus poterit tranquillitatem ſervare? *Idem.*

In mundo nunquā veram pacem invenimus, ſi nondum illam invenimus.

Ne ſperemus nos in poſterum pacatiores, magiſque contentos futuros, quam hactenus fuimus. Si vera quiete in hoc mundo frui debebamus, ſatis jam viximus, ut illam inveniremus, & quandoquidem nondum venit, ne putemus illam deinceps venturam. Semper utiles in noſtra conditione mutationes fieri poſſe expectabimus; ſed vita noſtra in hac expectatione atteretur, donec mors illius vanitatem nobis aperiat. Si quid nobis acciderit adverſi, hoc eo majorem nobis afferet ſenſum, quo magis nos beatos futuros expectavimus; ſin autem aliquid proſperi nobis contigerit, primorum conſiliorum complementum majora ſuggeret nobis: ita cœcorum inſtar in orbem circumagemur, nova ſemper, ſibique ſuccedentia conſilia foventes; hæc quippe vitæ hujus bonorum natura eſt, quod cupiditatem, quam extinguere debere videntur, magis accendunt. Hoc pacto cor nunquam erit pacatum, donec requieſcat in Deo, & hunc ſibi veluti votorum omnium objectum proponat. *Specimen ſermonum pro quarta poſt Epiphaniam Dominica.*

Qui requiem in bonis mundi hujus requirunt vias pacis non norunt.

Haud ita; pax in mundo non invenitur, & qui illic ſuam requiem inquirunt, non norunt vias, quæ ad veram pacem adducunt, ut ait Propheta Pſalm. 13. *Viam pacis non cognoverunt.* Finge tibi hominem affectibus ſuis mancipatum, & qui animæ ſuæ ſtatum ſecundum fortunæ mobilitatem moderatus, ſeſe temere tradit cunctis motibus, quos variæ vitæ hujus viciſſitudines poſſunt inſpirare. Quibus turbis cor illius non agitatur? Dum animæ ſuæ pacem in infinitis propemodum rebus conſtituit, quæ in ſua poteſtate non ſunt, quibus motibus, ac mutationibus patet? Quomodo fieri poteſt, ut hæc omnia, quæ ad quietis ſuæ conſtitutionem debent concurrere, ſimul occurrant; ut tot diverſi ſpiritu, quorum ſenſus regere debent ſenſus illius, ita affecti ſint, ut ille capit, ut ex tot cauſis, quæ ſubſtinent, animantque, ut ita dicam, pacem hanc artificialem, quam ipſe in ſemet efformat, ne una quidem deficiat? Hinc judicium fieri poteſt de fragilitate hujus pacis, quam levis ſuſpicio perturbat, quam verbum unicum frangit, quam impetus aliquis aufert, quam unicus oculorum conjectus diſſipat;

& quæ, cum infinitis egeat ſubſidiis, ut vigeat, cadit, ſtatim ac aliquod ex tanto numero deeſt. *Ibid.*

Vera pax extra virtutem nulla.

Nobiſmet perſuadeamus aliquando nullam niſi in virtute pacem veram eſſe. Si inordinatorum deſideriorum tuorum impetum ſequeris, quantumvis modicum tibi religionis adſit, conſcientiæ tuæ ſtimuli diu te pacatum non ſinent: ſi affectus tuos oppugnare aggrederis alio armorum genere, quam ſinceræ virtutis, videlicet ſervilis metus argumentis, carnalis prudentiæ principiis, miſeræ hypocriſis ſimulatione, fieri nequit, ut cor tuum nihil habens, quo voluptatum ſuarum privationem conſoletur, atque vanis tantum, & invalidis ſuffultum præſidiis non amittat pacem, & non decidat in tumultum, & inquietudinem. *Ibidem.*

Quæ res cordis pacem turbare conſueverint.

Tria interiorem perturbare pacem, & humanum cor ſollicitare conſueverunt. Primum eſt præcipitatio; alterum agitatio ex ardenti aliquo deſiderio, vehementique affectu profecta: tertium funeſti caſus, perſecutiones, & vitæ hujus adverſa. Præcipitatio omnino cordis requem perturbat. Videntur mortales ita affecti, ut nonniſi in ſollicitudine vivere valeant. Nunquam contenti ſunt quam cum plurimis ſunt negotiis impediti, cumque prioribus defuncti ſunt, alia aucupantur. Hæc eorum natura eſt, undique urgeri. Id genus homines dolent, & conqueruntur, attamen requies illorum in malo ipſorum ſita eſt. De illis dici poteſt, pœnam illos ſemper ſectari, eos vero pacem nullibi poſſe invenire. Defectus iſte non iis tantum communis eſt, qui ſuis indulgent affectibus; plures etiam boni huic ſunt obnoxii, cum nunquam ſatis didicerint coercere impetus ſuos, vel audire vocem Spiritus Sancti, qui nos intra nos revocat, ubi pacem, & requiem invenimus. *P. Surin, in libro cui titulus, dialogi Aſcetici lib.* 2. *c.* 2.

Immortificati affectus auferunt pacem cordis.

Homo, cui violentus dominatur affectus, quem ira rapit, quem metus agit, vel aliqua ſimilis animi perturbatio cogit, ſimilis eſt æſtuoſo mari. Hinc in Deo nequit quieſcere, qui in pace dumtaxat inhabitans, in ipſo permanere non poteſt. Ideo omnes illi, qui ad perfectionem anhelant, ſtudent mortificare acres affectus ſuos, quibus cor ipſum urgetur, & minimas etiam emotiones cohibentes Deo uni adhærent, eique ſatisfacere ſatagunt. Diu ſibimet perſuadere conantur, nihil eſſe dignum, quo moveamur, præter purum, hoc Deo placendi deſiderium. Hoc pacto deſideriis, & affectibus vacui cor ſuum in profunda pace conſtituunt. Alia tumultus cordis noſtri cauſa ſunt externi caſus, quibus affectus noſtri excitantur: ſed anima, quæ ad pefectionem contendit, prohibere debet, ne ob quemcunque caſum in ſe ordinatus aliquis affectus inſurgat ita ut perſecutiones, injuriæ, morbi, adverſa, aut quodcumque infortunium eam minime valeant perturbare. Illi vehementer errant, qui zelum, & charitatem prætexentes exardeſcunt, commoventur, agitantur: quaſi liceret uſpiam pacem amittere ob vel bonum aliquod procurandum, vel malum prohibendum. *Idem.*

De bonorum pace.

Ille vera oblectatione perfruitur, qui cogitat ſe, quod ſuum eſt, peragere, ab recta virtutis via non recedere, omnium ſapientum mores, ac inſtituta ſequi, ac Deo, eidem inſerviendo, præſtare ea, quæ tenetur. Hæc tranquillitas eſt, in qua conſcientia quieſcit, & quæ illam de præſenti, ac futuro ſollicitam nequaquam tenet, quin aliquid de Chriſtiana amittat humilitate.

Excuterem noſmet debemus, utrum nobis fallacē concinnaverimus pacem.

Num in memetipſo fallendo peritus, ac mordicus meo inhærens errori, conſcientiæ meæ ſilentium indixi? Poſt tot prælia, nunquamne tandem triumphum retuli? Hoc noſti, Domine; verum ne tradas me fallaci aſſerti hujus triumphi dulcedini. Vocem tolle, & fac, ut circum me vehementius, quam antea divinum verbum tuum circumſonet. Frange illecebras, quæ me faſcinant; quo minus mihi parces, eo magis me diliges, ac ſeveritas tua mea erit felicitas. Quonam me deduxiſſet, Domine, requies illa, quam extra vias tuas guſtare incipiebam? Velut ille, qui fluminis impetu ſe rapi ſinit, ad interitum feſtinabam, quin hoc intelligerem. Sequebar cupiditatem meam, & affectionem meam ipſe fovebam. Deficiente conſcientia, cujus omnia lumina jamjam penitus extinguebam, ſenſuſque omnes ſuffocabam, corruptam dumtaxat naturam audiebam, & cor meum indulgens inordinatiſſimis cupiditatibus, nullum fere ultram obicem inveniebat. Actum erat de me, Deus, niſi aliquot offudiſſes nebulas huic diei, quæ adeo ſerena videbatur. Miſericordiæ tuæ actus mihi acceptiſſimus ille eſt, qui me graviſſime vulnerat. Immortales ſint providentiæ tuæ gratiæ, momentum hoc me ad me ipſum revocavit per dolorem, quem attulit animæ meæ, ac tumultum quem in eadem excitavit. *Pater Girouſt, in Adventu, ſermone de falſa conſcientia.*

Pax fallax quæ oritur ex errore, in quo ſumus.

Deploramus aliquando infelicem peccatoris ſtatum, cum ille inſanis affectibus ſuis abditus eſt, atque per tyrannidem malorum habituum factus eſt peccati mancipium. Illius miſeriam deflemus, ſaluti ejuſdem metuimus; at ſtatus animæ, quam error ſefellit, nonne uberioribus lacrymis eſt proſequendus? Peccator ille ſaltem ſe errare novit, atque ob oculos ſuos habet imaginem ſceleris ſui, & ſi majori cum cognitione peccat, ideo etiam difficilius ad frugem reverti poteſt. Attamen vitiorum tædia, virtutis decor, conſcientiæ ſtimuli, judiciorum Dei metus ſunt veluti totidem voces, quibus ad officium revocatur. At longe accidit peccatori erranti, & errorem ſuum nequaquam intelligenti. Omnis reditus huic obſtructi ſunt: quoniam ſine cognitione peccat, ita etiam ſine ſtimulis peccat. Vermis, qui flagitioſi hominis pectus laniat, in corde illius quieſcere videtur, & conſcientia, quæ adeo ſalutaris eſt, cum illi malum exprobrat, ſive illum fallat, ſive fallatur, eum in profunda tranquillitate relinquit, quam nihil perturbat. Tunc omnis curationis ſpes abeſt; tunc nunquam advertitur animus reformandis moribus, atque in rectam viam redeundo; nullus timor eſt, nulli ſtimuli, nulla ſollicitudo. Conſcientia, quam magnus quidam Antiſtes cordis Evangelium, & gratiæ eſſentiam appellat, nihil inquit; de præſenti contenta, de futuro non ſollicita, pleniſſima requie, & perfecta gaudet ſecuritate. Funeſtum hominis ſtatum, ubi error proprius pacate regnet in animo, motus illius regat, eumque per levem, facilemque viam ad deplorabilem mortem adducat. *In ſermonibus Gallicæ Academiæ oblatis anno* 1683.

Pax, & gaudium in uno tantum Deo inveniuntur.

Unquamne ab ipſis mundi incunabulis ad hæc uſque tempora viſum eſt cor perfectæ contentum, quod in creatis rebus, & extra Deum ſuam oblationem quæſiverit? Mundus ullamne unquam beatum potuit efficere? Pax, & gaudium verum in uno inveniuntur Deo: quodcumque facias, ac poſſideas, anima non aliud, quam unum Deum, habens centrum, in uno illo requiem ſuam poteſt invenire. Ita ille per Iſaiam Prophetam cap. 48. exclamat: *Utinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris!* & per Apoſtolum ad Phil. 4. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* Decet igitur Chriſtiani gaudium eſſe perpetuum; pacem, & juſtitiam, quæ efficiunt, ut Deo præbeamus, quæ debemus illi, ſeparari non poſſe. *Bourdon in libro, cui titulus: Chriſtianus ignotus.*

Quomodo animæ pax amittatur.

Pax animæ facile amittitur, & plures ſunt, qui hanc nunquam obtinent, quamvis pietate, rebuſque ſpiritualibus vacent. Pretioſa hæc pax nimia ſpiritus activitate, vehementi agendi ratione, prægravi negotiorum multitudine, atque occupationum multiplicitate ardentibus deſideriis, violentis affectibus, ſexcentiſque aliis rationibus, quæ pacis noſtræ inimicis patent, amittitur. Attamen interior hæc pax adeo neceſſaria eſt, ut animarum pleræque, eo quod in illa confirmatæ non fuere, nihil agunt propter Deum, atque perfectionem ſuam, in qua nunquam progrediuntur. Prima hujus mali cauſa, ſi recte æſtimetur, proficiſcitur ex quibuſdam ſpiritus anguſtiis, quæ efficiunt, ut terrena hæc magno habeamus in pretio, & divina non ſatis pro dignitate faciamus. *Ex tomo primo Epiſtolarum P. Surin.*

Quinam verā pacem inveniant, & ea perfruantur.

Quod ad veram pertinet pacem, in illis tantum invenitur, qui invicta fortitudine ſuos affectus impugnant, & qui non quieſcunt, niſi eos perdomuerint, ita ut dicere poſſint cum Propheta Pſalm. 17. *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant.* Iſti illi ſunt, qui inceſſanter cum amore proprio confligunt, omnemque induſtriam, curamque, in minimis etiam motibus illius comprimendis collocant, ne in ſe aliquid habeant, quod prohibeatur, ne Deum, uti opus eſt, diligant. Iſti illi ſunt, qui mundum contemnunt, & oderunt, & nullam prætermittunt occaſionem ſuum odium, contemptumque teſtandi. Iſti denique illi ſunt, quorum unicum negotium, votumque eſt emundare cor ſuum, ac illud a terrenis quibuſcumque rebus ita expedire, ut nihil in ipſis inveniat Deus, quod prohibeat, ne illos tanquam filios reſpiciat. *Abbas Trappenſis in animadverſionibus ſuis in Evangelium S. Matthæi.*

Arte interioris partis ſervandæ.

Si mortales injuriis, contumeliis, calumniis utuntur, ut nobis hanc auferant pacem, in qua vivere & debemus, & volumus, illa quocumque pretio retinenda eſt: conatibus eorum patientia noſtra objicienda eſt, exactum ſervandum eſt ſilentium, cavendumque, ne ulla querimonia, murmure, aut facto, quod mœrorem, iracundiam, & impatientiam oſtendat, frangatur, ſervata ſemper conſtanti animi æqualitate: teſtandum illis etiam invitis malum, quod nobis inferre conantur, ad nos nequaquam pervenire; noſque illius protectione gaudere, cujus eſt infinita potentia, quæ nos tuetur contra improbitatem eorum, qui vel adnituntur, vel adniti aliquando poterunt, ut pacem noſtram, & tranquillitatem, in qua vivere debemus, perturbent. *Idem.*

Quo pacto ſalvator verā pacem inter homines conſtituere voluerit.

Dicere poſſumus Dei filium in terras veniſſe, ut bellum, ac diſcordiam afferret; ut tamen hoc bellum in conſtantiſſimam pacem converteretur duo, Domine, tibi erant conſilia; alterum quidem pacem inter homines conſtituendi; alterum vero efficiendi, ut quilibet homo ſecum pacem inveniret, quorum neutrum niſi per præcedentia bella, atque diſſidia fieri poterat. Homo ſecum pacem habere nequit, niſi abſtulerit, quidquid prohibere poteſt, ne ſibi tantum hoc boni procuret; hoc eſt inimicos, qui huic adverſantur conſilio, qui quidem affectus ſunt, & cupiditates, invidiæ, ultionis libido, opum, prædiorumque deſiderium, gloriæ appetitus, ac voluptatum amor, quibus addere poſſem alia id genus ſtagitia; quæ affectiones ubicumque turbas cient, ac gignunt confuſionem; quapropter eliminandæ ſunt ex locis, ubi inveniuntur, ſi illic pacem ſartam tectam tueri deſideramus. *Idem.*

Ratio gaudendi pace in hoc mundo eſt divinis parere præceptis.

Tutiſſima inveniendæ pacis in hoc mundo via in perfecta divinis imperiis obedientia conſiſtit. Ipſe dominus eſt; ipſe de hominibus facit, quodcumque vult, & ſæpe illos ad locum, quem cupiunt, & ſperant, deducit per vias ipſis ignotas. Quamobrem providentia illius amanda, & adoranda eſt, quin cauſas ſcrutemur, rationeſque inquiramus. Scire ſatis eſt, illum juſtum eſſe, ac nil velle niſi ſalutem inſervientium ſibi, & ſincere eidem cupientium adhærere. Qui hac mente operantur, certiſſima fruuntur pace, quæ alia via injuſte, & inutiliter quæritur in hoc mundo. *Idem tomo* 2.

Omnia in quiete ſunt in loco ſuo, ac ſitu. Cordis noſtri ſitus eſt cor Dei, & cum voluntas noſtra divinæ ſubjecta eſt voluntati, ex neceſſitate ceſſare debent inquietudines noſtræ, cordis agitationes deſinunt, & anima integra pace, perfectaque fruitur tranquillitate. *Idem.*

Pax cordis ſi vera eſt, inde oritur, quia pax habetur cum Deo.

Vera pace perfruimur, dum conſcientia noſtra fidele hoc nobis perhibet teſtimonium, nos cum Deo in gratiam rediiſſe. Status felix! ſtatus omnibus mundi fortunis præferendus! Cum Deo in gratiam redii; & contentus eſſe, & quietam vitam ducere debeo. Cum Deo in gratiam redii: Deus mihi erat inimicus, & ego Deo; ſed tandem ecce Deus iterum mihi reconciliatus eſt, & ego Deo. Pax cordis, pax Dei, quam Spiritus Sanctus opipare inſtructo convivio, menſæque omnibus deliciis affluenti comparat, adeo copioſa, ſuavique unctione animam replet. Pax Dei peccatori ſummopere deſiderabilis. *P. Bourdalove ſermone de Nativitate Domini.*

Ante Chriſtianiſmum homines excæcati, ac decepti falſo ſibi perſuaſerunt, tutiſſimam ad cordis pacem obtinendam viam eſſe cupiditatibus ſuis ſatisfacere, ambitionem explere, cupiditatem ſaturare, in mundo eniteſcere, in honore haberi, locupletari, rerum omnium affluentia frui, attolli, creſcere; hoc plurimi hominum crediderunt, & nunc etiam credunt. Hoc autem credentes, Scriptura inquit, non ſolum ſeſe deceperant, ſed ſeſe decipientes ſemet infelices præbuerant. *Contritio & infelicitas in viis eorum.* Hoc enim credentes *viam pacis non cognoverunt.* Pſalmus 13. Pro interiori requie, & tranquillitate, quam in opulentia, & amplitudine ſua ſibi pollicebantur, nihil niſi turbas, triſtitiam, & afflictionem ſpiritus inveniebant: *Contritio, & infelicitas.* Talis eſt ſors eorum, qui mundo favent, & utinam hæc, Auditores, veſtra hodie non eſſet. *Pater Bourdalove in ſermone primo de Nativitate Domini Noſtri.*

Pax cordis cū ſuperbia, & ambitione ſimul eſſe non poteſt.

Diſcite a me, Salvator ait, duo hæc ſimul eſſe non poſſe, pacem, atque ſuperbiam; cor veſtrum quodcumque faciatis, vel pro vobis conferat mundus, numquam contentum fore, donec vanitas, ambitio, & amor gloriæ ibi regnabunt. Ideoque ad humanæ felicitatis centrum in terris inveniendum, & obtinendam hanc animæ pacem, quæ antonomaſtice Dei donum vocatur, oportere, humilem, & ſincere humilem eſſe. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Matth. 11. *Idem.*

Ut interiori pace fruamur exterior cum proximo pax eſt habenda.

Ut cordis pace fruamur, quæ bonum eſt adeo exoptabile, pacem extrinſecus habere debemus cum omnibus hominibus, cum iis etiam, qui nobis maxime adverſantur, eamque nolunt, noſtra vitæ ratione illos cogentes, ut pacem velint, & exemplo David ſpiritum pacis cum ipſis pacis inimicis ſervantes: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Pſalm. 119. Etenim, Sanctus Chryſoſtomus addit, pacem habere cum pacificis, cum iis qui moderato, & ſociabili ſunt ingenio, hæc vix Philoſophi, atque Ethnici virtus eſſet, multo minus pro ſupernaturali, & Chriſtiana virtute eſſet habenda. Meritum charitatis, dicam melius, charitatis officium, pax interior, quæ eſt illius fructus, eſt pacem ſervare extrinſecus cum hominibus aſperis, difficilibus, iracundis: cur? Quia evenire poteſt, & re ipſa quotidie evenit, quod qui difficillimi, aſperrimique ſunt, illi ſint, cum quibus arctam fovere debemus ſocietatem; illi, a quibus minus divelli poſſumus, illi, quibus in ordine Dei indiſſolubilibus vinculis adhærere tenemur. Ne igitur perturbemur, atque tranquilli ſimus, pax nobis tuenda, & ſervanda eſt cum iis, qui præ cæteris facillime efficere poſſunt, ut illius jacturam faciamus. *Idem.*

In affectuum æſtu cordis pace frui minime licet.

Peccator, qui ſine ulla religione cæcæ cupiditatis, quæ te ad honores rapit, motus ſequeris, fruſtra chimericam tibi pollicieris pacem, poſtquam votorum tuorum ſummam fueris conſecutus, vel ſi repulſam paſſus fueris, poſtquam in tranquillum ſeceſſum temet receperis. Quid inauſum reliquiſti, ut ad finem tuum pervenires? Semper inquietus, triſtis, cogitabundus, urgere, vigilare, ſollicitare nunquam deſiiſti. Denique nihil tibi fluxit e ſententia; ſexcenta, quæ importune acciderunt, omnes conatus tuos everterunt; momentum tibi fere maturum tot laborum fructum eripuit; nullam unquam nactus es requiem; quomodo poteris pace frui mœrore confectus ab ea, quæ tibi male acciderunt? Tandem oculos incipis aperire, vides te factum non eſſe, ut ſis in hoc mundo felix, ejuſque deſerendi conſilium aggrederis, ut in pace vivere poſſis; ſed quid accidit? Inordinati affectus tui in intimos etiam ſolicitudinis tuæ receſſus te ſequuntur, neque invenientes ultra materiam, qua extrinſecus occupentur, omnis eorum violentia in te ipſum convertitur, atque inter eam tranquillitatem, qua gaudere videris, turbatior, & ſollicitior es, quam cum affectus ipſi tui per ſæculi negotia, atque tumulus aliquod tibi ſolatium afferebant. *Abbas de Jarry ſermone de Aſcenſione.*

Quid producat veram pacem in anima juſti.

Tranquilli ſumus eo in ſtatu, in quo coram Deo ſumus; & iſta pax animæ, Salomon inquit, eſt tanquam ſuave convivium. Immunes ab illis terroribus, quibus torquentur peccatores, ubi mortem, & Dei judicia recogitant, pacate exitum noſtrum præſtolamur. Non quod omni prorſus timore vacui ſimus, qua in re non deeſſet audacia, ſed metuimus tanquam filii ſine tumultu, atque cum ſumma confidentia. Hæc ſancta libertas eſt, ubi cor affectuum ſuorum tyrannide expeditum, beata fruitur tranquillitate. Terrena omnia oculo Chriſtiano intueri conſueſcimus; neque illa in nobis eas afficiunt impreſſiones, quæ vitæ mœrorem, atque triſtitiam producant. *P. Girouſt in Adventu, ſermone de ſuavitate ſervitutis Dei.*

Unus Jeſus Chriſtus diſcipulis ſuis pacem conferre poteſt; ea enim, quam ſibimetipſi tribuit mundus, ut liberius ſuis fruatur voluptatibus, fallax eſt pax, quæ veram vertit. Pax Salvatoris inter ipſas cruces, & pœnitentiæ lacrymas invenitur; cum interim impii, Spiritus Sanctus ait, inter de delicias velut mare fervens agitentur. Nunquam quieſcunt, quia requiem hanc aliis non tribuunt. De pace quidem loqui poſſunt, ſed pacis dulcedinem guſtare non poſſunt. Tribulatio, & afflictio ſpiritus pars eſt illius, qui facit malum . . . Cum enim bellum gerat & ſecum, & cum Deo, quomodonam pacem habere poteſt? *Pater Dozenne in libro cui titulus:* Jeſu Chriſti *diſciplina de rationibus acquirendi pacem cordis.*

Ut pax habeatur omnia ſuum ſervare ordinem debent.

Omnis dolor in eo, qui doloris eſt capax, inde oritur, quod in ipſo aliquid eſt, quod illic non eſt, ubi eſſe debet: & hoc in humano corpore videtur, ubi pars divulſa, os luxatum, humor extra locum ſuum acerbiſſimos gignunt dolores. Hoc tamen magis adhuc liquet in anima, quando affectus rationi imperant, cui obedire deberent. Non enim illis tantum torquetur, quorum objectum dolor eſt; deſiderium quoque, amor & alii etiam, qui feruntur in bonum, nobis totidem ſupplicia ſunt. Illos loco ſuo redde ſub rationis, & fidei obedientia, tunc recuperabis pacem, quæ in rerum perturbatione inveniri non poteſt; & tunc licet omnia circum te turbarentur, intrin-

trinſecus tamen conſtans, & inconcuſſus maneres. *Idem*.

Ne tibi in hac vita pacem omnia prorſus emotione vacuam pollicearis: talis enim neque ipſa Salvatoris fuit vita. Inferior animæ noſtræ pars ſemper obnoxia fuit aliquibus motibus ſubinde inſurgentibus; at ſupremane aeris regio minus tranquilla eſt, cum ſub illa procellæ deſæviunt? Hi motus appetitus inferioris non magis paci animæ, quam virtuti nocent, cum virtus, quod ſuum eſt, agit, & in gradu ſuo ſtat. Tunc dicere poſſumus, guſtatur pax ſimilis paci Jeſu Chriſti, qui tranquillo ſopore captus dormiebat, cum diſcipuli ejus tempeſtatis pericula trepidarent. Ut & vos tranquillitate eadem frui poſſitis, illos imitamini, & Dei opem expoſcite. Sciet ille maris fluctus mulcere; vobiſque nihil metuendum eſt, ſi ille vobiſcum adfuerit. *Idem*.

De infelici pace, qua peccatores in ſuis gaudent ſceleribus.

Quanquam inſignes peccatores per cordis duritiam, atque impœnitentiam, congregent ſibi quotidie theſauros iræ, tamen terribile Dei judicium non timent. Conſcientia illorum tranquilla eſt; cæcitas, in qua ſunt, illos tutos facit, cumque cor eorum ad obdurationis cumulum evaſerit, hanc pacem appellant. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, omnia in pace ſunt; atque in hac tranquillitate omnia ipſi obediunt, quin reluctentur, atque unum illum dominum eſſe fatentur. Quamobrem qui graviſſimis difluunt criminibus, ac diu illis aſſueverunt, ut plurimum, quid ſit tumultus, ignorant; vel ſi quem experiuntur, illius auctor eſt Deus, qui eos monet æquum eſſe, ut nocentes inquieti ſint, atque contremiſcant; quoniam inter ipſos, & infernum, quem meruere, fragiliſſima intereſt vita, quæ uno momento poteſt abſolvi. *De Sancta Martha, tomo primo tractatuum Aſceticorum*.

SUPPLEMENTUM.

Nulla pax impio. *Iſaiæ 48.*

QUamvis non dixiſſet Deus; *non eſt pax impiis*; ipſa impii ejuſdem conſcientia interius hoc, & irreprehenſibile teſtimonium nonne hanc ipſi proderet veritatem? Quomodo aliqua eſſe poteſt pax impio? Nulla ambitioſo eſt, nulla invidenti, nulla avaro, nulla voluptatibus dedito; impietas vero congeries eſt horum omnium criminum. Deus, qui juſto judicio generatim omnia vitia amaritudine, ac dolore adſpergit, illum impunem abire patiatur, qui directe ipſam oppugnat divinitatem? Peccator tunc ſolum beatus eſſet, voti ſui compos, ſine turbis, ſine ſtimulis, & in perfecta requie, cum divinitatem ipſam conatur avertere. Quot prælia ſuſtinere tenetur impius contra generis ſui præjudicio, contra rationis lumina, contra inſtitutionis ſui rudimenta accepta fortaſſe a parentibus, aut piis hominibus contra vitæ communis placita, contra conſuetudinem omnium fere gentium teſtimonio confirmatam, contra eorum exempla cum quibus vivere, agere, ultro citroque habere commercia tenetur! Hæc omnia authentica ſunt divinitatis argumenta; hæc omnia dicunt Deum eſſe, & eſſe colendum, & Religionem, quam ſequi neceſſe eſt. Hæc omnia poſſuntne ita facile everti? Hæc omnia poſſuntne in mente ita deleri, ut nulla ſuperſit ſpina, quæ illam lancinare, aut ſaltem de ſtatu ſuo inquietam relinquere poſſit; pacem hanc abominabilem perturbare, quam cum Religionis interitu in ſe ſtatuere conatur? Licet in ſecunda rerum ſuarum fortuna ſopore caperetur, quinam eſt homo ille, cujus fortuna ſit conſtans, atque perpetua? Cum vero proſperitas impii naturæ, vel fortunæ adverſitatibus oppugnatur, in ſitu hoc adeo miſero, ubi ille ſolatium poteſt invenire? Tu, Domine, miſerorum perfugium es. Qui credit in te, omnibus exutus, adhuc te ſecum reperit; oblitus mundi anhelat ad te, ad te currit, in ulnas tuas ſe conjicit, in ſinu tuo lacrymas ſuas fundit. In conſideratione judiciorum tuorum, in ſpe remunerationum tuarum habet præſentiſſima omnibus morbis ſuis pharmaca; in te ſentit animam ſuam tuis largitatibus ſublevari, & in perfecta requie conſtitui. Tu vero impie ubinam invenies animæ tuæ ſtimulis tranquillitatem? Cum omnia deſunt fideli, ſupereſt illi adhuc Deus ſuus; quid autem tibi reſtat, cui nullus eſt Deus? Undenam mutuaberis aliquod animæ tuæ præſidium? Pſeudoamici, inanis philoſophia, inſana conſtantiæ, firmitatis adfectatio, quam parum proficitis! Nulla igitur impio pax, neque in proſperis, neque in adverſis. *Pater de la Rue in Quadrageſima*.

Quinam cordis pace fruatur.

Quæ voluptas, quæ ſuavitas officio ſuo fungi! Rectæ conſcientiæ teſtimonium juge convivium, Sapiens ait. Sed quæ conſolatio nihil eorum facere, cujus nos debeat pœnitere; neque enim exteriora bona beatos efficiunt: opus eſt, ut mens tranquilla ſit, & cor contentum, ad veram ſuavitatem guſtandam, ac inde fit, quod in mundo vera, & pura ſuavitas non inveniatur. Hæc pro animabus fidelibus eſt, immo nonniſi pro bonis hominibus eſſe poteſt; qui ſoli intra, & extra ſe pacem habent; donec peccatores vivunt in tumultu, & in deſperatione moriuntur. Hæc pax, ut plurimum eſt fructus virtutis; quo magis Dei es, eo magis illam guſtas. *Pater Croiſet in Anno Chriſtiano*.

Falſa pax qua fruitur peccator maxima calamitas eſt, quæ illi poſſit ingruere. *S. Auguſt.*

Graviſſimum, quod peccatori accidere valeat malum, eſt vivere in pace; cum enim non perturbetur amplius a Deo, neque ab hominibus; cum non ultra loquatur fides, ratio, & conſcientia in peccati ſomno politus vertit in autem utramque. *Vis noſſe*, quærit Sanctus Auguſtinus, *poſtquam peccaveris, nulla pœna, quanta ſit pœna?* Prophetam interroga, & ſciſcitare cur peccator ad iram numquam ceſſaturam excitaverit? *Irritavit Dominum peccator*. Non aliam habeo cauſam, inquiet, niſi quod pacatus eſt, & domus illius bonis omnibus diffluit. Non igitur ille contremiſcere debet propter multitudinem ſcelerum, quæ patravit; Dei miſericordia ſemper major erit hominum nequitia; ſed illi trepidandum eſt, quod inter tot, juſtoſque tumultus pace fruitur; quod ſine ullo timore, vel cogitatione ejus periculi, in quo eſt, hilaris vivit. Non enim ita Deus agit cum illis, erga quos ſervat adhuc aliquos ſenſus miſerationis: voluptates, quas guſtant, ipſo non dante, aliqua ſemper amaritudine imbutæ ſunt, & hæc amaritudo illis faſtidium creat. Sed cum audio, non deeſſe tranquillos peccatores, hunc hominem per fas, & nefas undequaque opes congerere, illum ultro impuro igni conflagrare cum fidei, quam conjugi ſuæ virtute præditæ debet, detrimento; alium qui extrinſecus non cohibet effectus iracundiæ ſuæ, niſi opportuna illi deeſt occaſio ulciſcendi; frui tamen pace profunda, ac nulla re turbari, & ſollicitari; nullumque ipſi negotium faceſſere Deum, homines, conſcientiam, nullis ſtimulis, aut ſcrupulis agitari; tunc meipſum continere non poſſum quominus cum Propheta exclamem, Dei in ipſum iracundiam, maxime terribilem eſſe: *Exacerbavit Dominum peccator*. Ratio vero, quam habeo, hæc eſt, quia omnes peccati illecebras guſtat, quin illius ſentiat amaritudinem, & quia impius eſt tranquillus. *Sermo Manuſcriptus*.

Pſalm. 10. — *Supra.*

Quid ſit pax & qui guſtant illam.

Sanctus Auguſtinus pacem definit, tranquillitatem ex ordine profectam. Ordo qui reperitur in regno optime quidem conſtituto, ſed frequentibus bellis agitato, ſatis non eſt, ut illic cives pace fruantur, quia ordo ibi eſt, ſed ſine tranquillitate. Tranquillitas, quæ invenitur in regno pacato quidem, ſed male inſtituto propter ſubordinationis defectum, nequaquam ſufficeret, ut ubi mortales pace ſaltem diuturna gauderent, quia ibi tranquillitas eſſet ſine ordine. Ad veram pacem hanc guſtandam, opus eſt, ut ordo, & tranquillitas ſemper conſocientur. Videamus nunc quinam ii ſint, de quibus hic loquitur Dominus, & qui *habent ſpiritum pacificum*. Hi ſane eſſe non poſſunt impii; quippe licet tranquilli ſint in ſtatu ſuo, æterna perturbatio in illis ſubſiſtit propter ſpiritus ſubmiſſionem carni. *Non eſt pax impiis*. Neque juſti habentes virtutem dumtaxat communem hac fruuntur tranquillitate; propterea quod licet ſint in ordine, tamen tranquilli non ſunt propter juges rebelliones carnis adverſus ſpiritum, quæ excitantur in illis, eoſque turbant indeſinenter. *Expectavimus pacem .... & ecce turbatio*. Ita illi ſoli, qui *ſpiritum habent pacificum*, perfecti ſunt Chriſtiani homines ſibimetipſis mortui, in quibus caro perfecte ſubdita eſt ſpiritui, qui omnino ſubditi Deo ſunt, ut illi obediant tamquam filii bene nati, ac ſinant ſe a Spiritu Sancto in omnibus gubernari. *P. Segneri in Meditationibus*.

Matth. 5. — *Iſaiæ 48.* — *Jer. 14.*

Juſti ſemper ſunt in pace.

Quidquid accidat, juſti hujuſmodi ſemper ſunt in pace, ſemper gaudent, & ſemper voti ſui compotes ſunt, ſemper pace fruuntur, quia ordo, ac tranquillitas ſimul regnant in illis. Ordo quidem per ſubordinationem carnis ſpiritui, & ſpiritus Deo: tranquillitas autem, quia facile non eſt hanc evertere ſubordinationem. Neque ideo putes Sanctos numquam turbari ſeu propter crimina, in quæ labuntur. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui facit bonum, & non peccet*, ſeu propter tentationes, quibus probantur; ſed levis eſt turba iſta, ſæpe etiam involuntaria, ideoque illis pacem non aufert. Ditio aliqua non ceſſat eſſe bene inſtituta, tranquilla, pacata, licet

Eccl. 7. 21.

licet aliqua oriatur ſeditio, quæ in ipſis incunabulis extincta fuit; ſi pacem non habemus, diſcamus ſaltem, quod neceſſe eſt, ut illam habeamus. Pax, & tranquillitas, quæ oritur ex perfecta ſubordinatione carnis ſpiritui, & ex integra ſpiritus Divinæ voluntati ſubmiſſione: *Acquieſce igitur ei, & habeto pacem*; hæc pax, inquam, regnare poſſet in corde impii? Hic præda factus crudelium cupiditatum ſuarum, ac ſtimulorum, qui illas excipiunt, centrum eſt tumultus, & perturbationis. Ita juſſiſti, o Domine, ut peccator in ſuo etiam corde peccati ſui pœnam nanciſceretur. *Idem. Tomo quinto Meditationum ſuarum*.

22.

Facientes bonum, & recedentes a malo invenimus pacem cordis.

Mortales omnes pace frui cupiunt. Impudicus illic per voluptates obrepere ſtudet; ambitioſus per honores, avarus per opes; ſed heu! miſeri quam longe diſtant a ſcopo ſuo! Nulla eſt pax impiis, dicit Dominus. Quocumque noſmet convertamus, unica nobis eſt via, quæ ducit ad pacem, eamque Propheta Rex nos docet: *Averte a malo, & fac bonum*. Mali fuga liberat nos ab ea turba, quam mala parit conſcientia; praxis boni gaudium nobis largitur, quod bonæ conſcientiæ fructus eſt; & ex duobus iſtis principiis pax cordis. *Opus juſtitiæ pax*. Tamen ſperandum non eſt fore, ut in hoc mundo perfecta pace fruamur: neſcimus enim ita bonum quidem operari, malum vero evitare, ut in alterius quidem perquiſitione, fuga vero alterius nihil nobis adverſetur. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Poſſumus tamen non modicum imminuere has difficultates ſubjiciendo carnem ſpiritui per corporis mortificationem, multoque magis per mortificationem interiorem. Quod nobis ſignificat David per hæc verba: *Inquire pacem, & perſequere eam*. Si nondum inveniſti pacem hanc adeo pretioſam, ne ceſſes, illam ſemper require, & perſeveranter perſequere. Mundani eam fruſtra requirunt, quia ambulant per invia, qua ad illam non pervenitur. Sed qui viam illius norunt, & ſequuntur eam, tamdem perveniunt ad illam, vel ſaltem non longe ab eadem recedunt: *Ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens*. At nonne magna nobis utilitas, & requies eſt, ſaltem eſſe in via pacis? *P. Segneri in Meditationibus*.

Iſaiæ 32. — *Rom. 7.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Fruſtra animum adjungerem ad diſcendum omne bonum, quod facere jubeor, niſi eamdem impenderem curam, ut a malo, quod facere prohibeo, abſtinerem. *Recede a malo*, inquit Propheta; etenim a mali fuga peccatique remotione pendet innocentia. Sancti ipſi nonniſi fuga malum vitarunt; & ſæpe ſalutis ſuæ hoſtem ſuperarunt, prælia detrectando. Debilis peccator, itane ſim audax ut provocare velim pericula, quæ Sancti ſibi timenda eſſe cenſuerunt? Evitare malum, bonum operari, unicum eſſe debet hominis negotium ſuper terram; verum unica etiam via eſt pacem ibi inveniendi. Hoc non modico ſtat labore naturæ ſtudiis: fugiendum eſt, præliandum eſt, opus eſt vigilantia, & animo ad innocentiam tuendam; ſed ſatis amplum horum laborum pretium eſt pax, quam ſola innocentia poteſt conferre. *P. Segneri in Meditationibus*.

Cur pax ſit ſignum prædeſtinationis. *Rom. 8.*

Pax certa eſt nota prædeſtinationis, quicumque pacem hanc poſſident cum ſint filii Dei, patet cæleſtem hæreditatem ad eos pertinere: *Si filius, & hæres*. Hæc mens eſt Salvatoris, ubi ait: *Beati pacifici; quia filii Dei vocabuntur*: Juſtis hiſce perfectis glorioſum tribuit titulum, filiorum Dei: etenim ſeſe gerunt, non tamquam ſervi, ſed veri Patris Cœleſtis Filii. Servi parent domino ſuo propter timorem inviti, & nolentes. Filii e contra obtemperant patri per reverentiam, amorem, gaudium. Hoc pacto operantur Sancti, & juſti ordini ſupremi, de quibus hic agitur. Ex toto corde divinæ voluntati obſequuntur, ut de illis ad arbitrium diſponunt, & eo quod ſine ulla acceptione ſeſe illi tradunt, ſe dignos Patris Cœleſtis Filios oſtendunt. *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt Filii Dei*. Verum cur Salvator ait, pacificos vocatum iri Dei Filios? Hæc eſt cauſa quod inſignes iſti viri, non ſolum per adoptionem Filii Dei ſunt, non ſecus ac alii juſti paſſim, ſed pro talibus in ipſis etiam mundi oculis habentur. De Jeſu Chriſto dictum fuit; *Vocabitur Altiſſimi filius*, quia illius ſanctitas, ſapientia, humilitas, ſuavitas, patientia illis, qui lumini oculos non clauderent, debebant oſtendere illum vere Filium eſſe Omnipotentis. Tu quidem fortaſſe Filius Dei es, at vivíſne eo modo, unde liqueat, Te eſſe Filium Dei? Certius argumentum quod præbere poſſis, eſt Patris Cœleſtis arbitrio omnia committere; ſed quomodonam ex hoc caractere cognoſci poſſes, tu quem leviſſima quævis oppoſitio perturbat? Tamen pax ſimilis eſt iis fluminibus, quorum curſum nil mutat, & quem ſemper ſumma conſtantia ſequuntur. *Utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua*. *P. Segneri. Tom. 5. Meditationum*.

Rom. 8. — *Luc. 1.* — *Iſaiæ 48.*

Juſti pacē habent cū Deo, cum aliis, cū ſemetipſis. *Iſaiæ 32.*

Qui præliando tandem ſe ipſum vicit, dies ſuos in pace traducit: *Sedebit in pulchritudine pacis*. Pacem habet cum aliis, quia caret ambitione, invidia, terrenarum rerum amore. Pacem habet cum ſeipſo, quia appetitus ejus ſubeſt rationi; Pacem habet cum Deo, quia huic in omnibus obedit, neque a propria damnatur conſcientia, quaſi legis prævaricator. Quam copioſa eſt hæc pax, inquit Propheta: *Pax multa diligentibus legem tuam*! Pax, quam Deus in juſti corde producit, ſenſum omnem exſuperat. *Pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum*. Plena deliciis eſt atque illecebris. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*.

Pſalm. 118. — *Ad Philip. 4.* — *Iſaiæ 32.*

Pax, & gaudium bonorū inter vitæ hujus ærumnas.

Chriſtianus homo Dei promiſſionibus ſuffultus, gratiæ viribus confirmatus, ejuſque deliciis refectus, commoveri nequit iis omnibus, quæ ſæcularium animum abjiciunt. Ingruit ne illi caſus aliquis, qui ſuave illi valetudinis bonum eripit, cæterorum condimentum, benedicit Deo, qui auferens ipſi fluxorum bonorum guſtum, illum in eum ſtatum adducit fruendi illis, quæ æternum ſunt permanſura. Perſecutio admitne illi honores, magiſtratus, vel hæreditatem a Majoribus ſuis acceptam? Semper Divinæ providentiæ nutibus obſequens, in ipſis hominum contumeliis, paternam Creatoris manum deoſculatur, qui ideo percutit filios, ut fidelitatis, confidentiæ, & amoris illorum periculum faciat. Truditur ille in teterrimos carceres? Statim horrentia loca gratiarum actionibus reſonant, illos primos Eccleſiæ fideles imitante. Gaudium una cum ipſo in horroris ſedem ingreditur. Trahiturne ante Judicum ſubſellia? Omni coinquinatur contumelia, eo quod Dei ſui cauſam egerit? Apoſtolorum inſtar exultat, quod dignus habitus eſt pro Dei nomine affici opprobrio. Fames, ſitis, frigus, ignes, nuditas, morbi, ſæviſſimi denique cruciatus illum nequeunt deterrere. Mors ipſa nil habet terroris; immo illam intuetur tamquam laborum finem, terminum peregrinationis, ultimamque rerum lineam, qua traducta veram deliciarum regionem inveniet. *Serm. 2. Accademiæ anni* 1707.

Locuples donum, quod Salvator confert Apoſtolis ſuis pacem illis dans.

Ubi loquitur Dei Filius, verba ejus numquam effectu carent, quippe comitem habent eam potentiam, cui nihil eſt difficile. De verbis illius longe aliter ac de noſtris ſentiendum eſt; non ſunt tantum ſuarum cogitationum ſigna, externæque notæ voluntatis ejuſdem. Hæc faciunt, quod ſignificant, objectorumque ſuorum æque cauſæ ſunt, & imagines: *Dixit, & facta ſunt*. Ita cum dixit Apoſtolis, *Pax vobis*. Hoc non tam fuit votum, ac bonæ voluntatis ſuæ erga illos teſtimonium, quam effectiva gratia maximi bonorum omnium; pax quippe illa omnia comprehendit; & nullum verum bonum eſt ibi, ubi pax nulla. *Ubi pax*, Sanctus Auguſtinus ait, *ibi ſicut chariſmatum abundantia*. Non poterat Salvator aliquid melius ſuis conferre diſcipulis hac pace, æque neceſſaria, optabili, conſtanti, ſuavi, glorioſa, ac certa. Pax, quæ felicem imponit exitum bello funeſtiſſimo, quæ partes, quæ antehac numquam in gratiam redituræ videbantur, conciliat, quæ Deum inter, ac homines farcit amicitiam, quæ gratiam cum natura, ſpiritum cum carne, Cœlum cum terra conſociat. Pax, quæ procul extrudit jurgia, & diſcordiam, turbas, & tumultum, odia, lites, bella, & inimicitias, efficiens, ut in earum locum regnet amor, & charitas, innocentia, & virtus, tranquillitas & manſuetudo, gaudium, & deliciæ, quæ Paradiſi beatitatem conſtituunt. *Sermo Manuſcriptus*.

Pax eſt verorum Chriſtianorum nota.

In beata ſede hac, quam Deus ſuo dignatur adſpectu, nullæ ſunt lites, nulla jurgia, nulla certamina. Neſcitur, quid ſit jurium diſtinctio, & diviſio; quia ibi bonorum omnium fons poſſidetur, & cœleſtis illius civitatis incolæ perfectiſſimæ charitatis vinculo conjuncti ſunt, ita ut unum illis cor tantum, & anima una ineſſe videantur. Dignare, Domine, oculos tuos in nos convertere, qui in terra vivimus, filiique tui ſumus. Dignare in corda noſtra effundere aliquid hujus charitatis, paciſque cœleſtis; & in mentem noſtram immittere aliquot radios divini luminis tui, qui hanc cieant in nobis recordationem, quod cum teneamus te quotidie Patrem noſtrum ſalutare, neceſſario quoque tenemur noſmet ultro citroque tamquam fratres intueri, & habere; & ſi quid nobis diſce-

Oratio ad pacem obtinendam.

diſceptandum occurrit de jure, & bonis; hæc diviſio, ac bonorum diſtinctio nullo modo probare, vel excuſare poteſt mentium, animorumque noſtrorum ſeceſſionem. *Ex modo recitandi Orationem Dominicam.*

Pacis plenitudo non ſentitur ab iis, qui mundo adhærent. Voluptatum amor ita eſt homini inſitus, & hic adeo pronus eſt in gaudium, flagrat deſiderio bonorum hujus mundi, ambit honores ſpe ductus futurum, ut in illis ſuam requiem, & felicitatem inveniat, ut dicere poſſimus hunc amorem, & hanc animi propenſionem eſſe veluti potiſſimum omnium actionum vitæ ipſius authoma. Sed heu! quænam illuſio eſt hanc requiem, hoc gaudium, extra Deum perquirere. Nonniſi in Domini hujus adeo locupletis, atque magnifici famulatu bona hujuſmodi reperiuntur. Eſſe cum Jeſu Chriſto, hoc verum cœlum eſt; hoc eſt vitam ducere, quæ in gloriæ habitaculo ducitur; ſed qui ſine illo vivit, licet hujus mundi beatiſſimus eſſet, jam more dæmonum vivit. Mirum eſt, homines, toties hoc expertos, nondum intelligere potuiſſe errorem ſuum, & inane omnium mundi hujus bonorum! Horum agnoſcitur mobilitas, & amaritudo guſtatur, & nihilominus fallacia hæc gaudia appetuntur. Hæccine eſt voluptatum cupiditas, quæ dominatur in vobis? Cur non quæritis pacem in una illa conditione, ubi reperitur, quæ eſt ſervorum Dei? Cur toto vitæ ſpatio repitis in mediocritate virtutis, quæ numquam ſuam promit dulcedinem? Nonniſi in montis cacumine Dei Filius ſuam majeſtatem oſtendit. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus.*

Boni inter mundi turbas conſtanti pace gaudent. Homo, qui ex cupiditatum tyrannide elapſus eſt, qui inania excuſſit deſideria, quibus inceſſanter humiles ac repentes animæ agitantur, qui humanis infirmitatibus ſpretis nullis urgetur timoribus, atque tumultibus, qui jugiter mundanos omni conſolatione carentes torquent; hic homo inquam mœrebit videns frequentes eorum cordium clades, quæ ludibrium fiunt omnium cupiditatum, quæ ſtimulis lancinantur, quæ ſollicitudinibus corroduntur gementia in turpibus vinculis objectorum, quæ ſibi dominantur, quin catenas ſuas audeant perfringere, ſemperque appetunt eam requiem, quæ æternam ab illis fugam capeſſit. Videbit ille citra dolorem ſub oculis ſuis tranſire figuram mundi prætereuntis, qui fallacibus promiſſionibus, magnificis præſtigiis, venenatiſque delitiis, non ceſſat faſcinare vulgares animas, & miſeros facere. Tamquam Moyſes alter cum omni ſecuritate, ac tranquillitate permanentis in portu reſpiciet æſtuoſi hujus maris procellas, ubi infelices Egyptii, videlicet mortales ſæculo devoti poſtquam aliquantiſper adverſus fructuum inſanos impetus luctati ſunt, tandem ſubmergentur, & in abyſſo ima deglutientur. *Sermo ſecundus Accademiæ anno* 1707.

Pax, verumque gaudium nonniſi in Dei ſervitio invenitur. Craſſum errorem hunc evitemus, caveamur, ne arbitremus perfectam beatitudinem in terris guſtari poſſe. Nimis multis affligimur malis; nimis multæ cupiditates in noſtrum conjurant interitum, ſed felicitas, quam hic ſperare licet, per ſolas Chriſtianas virtutes acquiri poteſt. Hæ leniunt ſenſum malorum, quæ evitare non poſſumus; eorumque imminuunt amaritudinem; & quod univerſa hominum ſapientia numquam conſequi potuit, & quod illa ipſa nequaquam fieri poſſe rata eſt inter vitæ hujus ærumnas, ac mala nos gaudio, & ſolatio replent. Nec ſatis; favent noſtris etiam deſideriis, non illis quidem inordinatis, quorum alia aliis ſuccedunt, ſed permanentibus, ac ineffabilibus, quæ Deus ipſe in fidelium ſuorum cordibus inſculpſit. Hæc vera, & unica beatitudo eſt, quam in hac vita guſtare valeamus. *Sermo tertius Accademiæ anno* 1707.

Beati pacifici, Salvator ait, *quoniam ipſi filii Dei vocabuntur*. Qui pacē procurant intra fratres, hi ſoli vera pace fruuntur. Pax, quæ inter impios regnat, & quæ inde proficiſcitur, quia ſunt ſuarum cupiditatum mancipia, pax fallax eſt, & pſeudopacificos facit, qui nonniſi Dæmonis filii vocari merentur. Vera pax ſubjicit animæ corpus, animam ſpiritui, & ſpiritum Deo. Hæc cupiditatibus moderatur, & efficit, ut cum proximo lites, & jurgia ceſſent. In Dei gratiam redigit, qui inde per ſua ſcelera diſceſſerant. Hæc pax, ubi perfecta, & conſummata eſt, qualis erit in Cœlo: plerumque non aliud eſt, quam effectus diutini interioris belli, quod aliquis ſibimet intulit per mortificationem, vel belli exterioris, quo patientiæ periculum factum eſt. Sed duplici hoc ſæviente bello, quandoquidem eſt in ordine, non ceſſat experiri in corde ſuo pacem, atque tranquillitatem, quæ longe omnem mundi fictam pacem exuperat, & quæ efficit, ut in hac quoque vita glorioſum filiorum Dei nomen promereamur: nomen, quod teſtibus Sanctis Paulo, & Auguſtino pacificis tantummodo conceſſum eſt propter extremam charitatem, qua Deus Pater illos proſequitur. Quam ob rem Sanctus Gregorius inquit, ſi, qui pacem procurant, adeo glorioſo nomine nuncupantur; eos, qui ubique ſerunt diſſidia, ac lites, certo certius filios eſſe Sathanæ. *Le Tourneux in Anno Chriſtiano Tomo 9.*

Ut beati ſimus opus eſt cor eſſe tranquillum, voti ſui compos; omnia ibi eſſe pacata: & hæc pax cordis mundi hujus donum eſſe non poteſt. Inter opes, honores, voluptates vix malacia inveniri poteſt; unus Jeſus Chriſtus fluctibus, ventiſque poteſt imperare. Cupiditates ſunt humani cordis tyranni; proſperitas illas exaſperat, ætate convaleſcunt, neque vehementiores ſunt, quam cum in ſenium vergimus, cum in juventute eaſdem compeſcere neglexímus. Creatorum bonorum affluentia uberrimus fons eſt curarum, & ſollicitudinum. Voluptatum multitudo ſemper eſt multitudo creſcens moleſtiarum, & ægritudinum; quarum nulla amaritudine imbuta non eſt. Honores palpant, ſed perſtringunt eorum oculos, qui eos domi alienæ intuentur. Quot turbines, quot caligines, quot tempeſtates ipſo etiam in ſolio! Verbo: cruces ubique germinant, nullus ſtatus, nulla conditio in mundo eſt, nullus privatus, familia nulla quæ immunis ſit; immo illæ ubi pinguiores ſunt, fundi ſunt etiam copioſiores. Si illas convellere adniteris, pungeris; cumque ubique ſatæ ſint, ſi una eradicatur, ſtatim longe plures prodeunt. Si vis pace cordis frui, quæ eſt dumtaxat filiorum Dei; longe ſecedendum eſt a tumultu. Nec ſatis; aſcendere oportet prægaltum montis alicujus cacumen, & quia quocumque pergimus, nobiſcum moleſtiarum, curarumque noſtrarum fontem, cauſamque geſtamus, videlicet, ingenium noſtrum, naturam, affectus; ſtudia, amorem proprium; niſi Salvator nobiſcum fuerit ad ventos ſedandos, ad mare placandum, ad malaciam gignendam, ubicumque miſeri ſumus. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus. Tomo primo.*

Ut pacē conſequamur petenda eſt a Filio Dei, qui ſolus eā nobis procurare poteſt.

Nequicquam theſauros theſauris agglomeras, voluptates omnes congeris, mundi honores multiplicas: Omnia hæc lenocinia exteriora ſunt; cor non minus ideo obnoxium eſt ægritudinibus ſuis, curiſque lethalibus. Hæc ad ſummum eſt victima floribus redimita, poſtridie immolanda. Sola mortis cogitatio omnia perturbat gaudia, ac voluptates omnes crudeli illinit amaritudine. In ſolo Dei famulatum omnes turbines iſti diſſipantur, unus amor, quo nos Jeſus Chriſtus complectitur, & quo nos illum proſequimur, efficit ut guſtemus delicias pacis, quam carnalis homo intelligere nequit. Pax hæc adeo ſuavis, qua gaudet anima, eſt quædam cœleſtium deliciarum prælibatio. Modeſtiam, immutabilem bonorum dulcedinem, cum ingenio ſemper moroſo, furenti, obſcuro beatorum ſæculi, confer. Lacrymæ quidem ad crucifixi pedes funduntur; ſed quod gaudium, quam ſuavitatem hæ afferunt lacrymæ? In mundo quidem funduntur, immo apud mundi aſſeclas lacrymarum fontes inexhauſti ſunt; at quinam dolor, quænam amaritudo comites ſunt individui horum gemituum, qui eo ſunt amariores, quo ſecretiores, & ſteriliores! Quærant, laborent, ſcructentur unam vel levem felicitatis umbram in terris; nemo dicere poteſt, felix ſum, quia nemo eſſe poteſt; niſi quatenus eſt cum Jeſu Chriſto. *Idem ibidem.*

Cordis pace frui nequit, niſi qui adhæret Deo.

PEC-

PECCATUM MORTALE,

Ejus enormitas, effectus, & quidquid ad hoc pertinet argumentum.

MONITUM.

Mortale peccatum circa ullam dubitationem argumentum eſt omnium Chriſtianæ diſciplinæ vaſtiſſimum, & longe effuſiſſimum, quandoquidem omnibus immiſcetur ſermonibus, qui morum correctionem, & in virtute progreſſum ſibi proponunt. Quamobrem ut coarctetur, atque hinc fiat particularis cujuſpiam concionis argumentum, plurima præſcindenda ſunt; cum alioquin evitari nullo modo queat, ne omnia fere in hoc uno confundantur argumenta. Non igitur latius differendum eſt de aliqua peccati ſpecie ſingillatim; & ſi inductione utendum ſit, in qua ad ſingula ſæculi vitia deſcenſus fiat, hoc faciendum non eſt; niſi quatenus opus erit, ut inde concluſio peccati generatim ſumptui inferatur.

Ad id hos nobis cancellos circumſcribere oportet, ut mortalis peccati gravitatem, & deformitatem oſtendamus: quo uſque divinæ majeſtatis læſæ crimen procedat; quo odio illud Deus perſequatur; quo item nos illud perſequi opus eſt, quin ulterius in pœnitentiæ argumentum penetremus, de quo ſuo loco erit ſermo; bonum, quo nos privat; malum quod affert; ſupplicia, quibus Deus illud in hac vita punit, & in altera; ſed quin latius ſermonem inſtituamus de pœnis Inferni, deque argumentis aliis, quæ, cum aliquam cum hoc habeant rationem, iſtud nimis late expanſum, confuſumque redderent; quandoquidem ex ſe ſatis uberem ſuppeditat pluribus concionibus dicendi materiam.

Hac mente hos nobis fines præſcripſimus, ut eligeremus ea, quæ ad mortale peccatum generatim pertinent, quin admonere neceſſe ſit, cum peccatum ſimpliciter nominatur, vel cum de effectibus ejus habetur ſermo, vulgo mortalem intelligi noxam. Nihil etiam de peccati habitu, qui contrahitur, dicemus, de hoc quippe ſingulari titulo actum eſt; uti neque de veniali peccato, de quo titulo ſubſequenti eſt agendum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Synopſis.

I. DE peccati mortalis nequitia. Ut omnem, cujus capaces ſumus, horrorem & concipiamus, & inſpiremus, de hac judicium ferre poſſumus: 1. ex ejus natura, quæ eſt Dei offenſa: 2. ex effectibus habita ratione cum Dei, quem delere conatur, tum Jeſu Chriſti, Dei ſimul, & hominis, cujus peperit mortem: 3. ex malo, quod adfert homini, quem infinitis privat bonis, & infinitis objicit malis. Hæc tria ſunt concionis puncta, quæ complectuntur, quidquid aptius eſſe poteſt ad criminis hujus horrorem immittendum.

Prima pars. Cum mortale peccatum ſit offenſio Dei, eique illata contumelia, offenſæ magnitudo ex tribus principiis, vel regulis petitur: ſcilicet ex magnitudine, vel læſæ perſonæ dignitate, ex indignitate, & ingrati animi vitio lædentis, & demum ex injuria, quæ læſæ perſonæ infertur: quod palam innoteſcit injuriis, quibus læduntur homines, ii vero præſertim qui imperium obtinent, & dominantur. Ut ex hac regula judicium feramus, conſiderandum eſt, 1. quiſnam læditur, dum mortalis noxa committitur? Deus nempe infinite magnus, infinite potens, infinite adorabilis: cujus magnitudo infinite regum omnium ſuperat magnitudinem: cujus præſtantia, divinæque perfectiones reverentiam, obedientiam, & obſequium noſtrum merentur. Igitur ſi læſi magnitudo menſura magnitudinis noxæ eſt, hinc ſequitur, peccatum, quod Dei offenſa eſt, infinite magnum eſſe in nequitia ſua, quandoquidem menſura illius eſt divinæ majeſtatis, omniumque perfectionum ejus magnitudo. 2. Quis ita audax eſt, ut numen adeo magnum lædere non vereatur? Creatura eſt infinite vilis, ac infinite infra ſupremum Ens illud demiſſa; homo eſt, qui ſecundum corpus nil aliud eſt, quam lutum, pulvis, ac tabum; ſecundum animam vero in origine ſua merum nihilum eſt; homo, qui nihil poteſt, & qui in nihilum unde egreſſus eſt, reverteretur, ſi Deus eum tueri, ac ſuſtinere deſineret, &c. Attamen adeo vilis creatura tantum Deum audet laceſſere, hic terræ vermis contra terræ, cœlique Dominum audet inſurgere! O temeritatem! O imprudentiam non ferendam! O inſolentiam omnium creaturarum execratione, omnibuſque cœli, terræque ultionibus dignam! Ut autem in nobis dolorem, & confuſionem excitemus, conſiderandum eſt, quantum debeamus Deo, & quanta ſit beneficiorum illius magnitudo; tunc enim juxta ingratitudinis noſtræ magnitudinem major erit offenſa. 3. Injuriæ, qua quis afficitur, magnitudo petitur ex magnitudine juris, quod in nos obtinet, & quod violamus lædentes illum, eique denegantes, quod jure ſuo ex nobis depoſcit: hinc etiam arguendum eſt, magnitudinem injuriæ, quæ per peccatum mortale ſit Deo, eſſe infinitam. Violo jus primi principii, & Creatoris, qui imperat, ne de meipſo, niſi juxta beneplacitum ſuum, diſponam. Violo jus ultimi finis, quo propter Deum tantum vivere cogor; jus, quod habet, quodcumque ipſi placuerit imperandi, ac prohibendi; jus amorem noſtrum exigendi, quod tamquam maxime juſtus, & omnipotens habet, &c. Hinc ſequitur, quod illum contemnimus, quod leges illius conculcamus, quod omnes perfectiones ejus laceſſimus, quod terribili improbitate vitæ illius, & eſſentiæ manum injicimus, quod quomodo fiat, explicandum eſt. O ſummam peccati mortalis nequitiam! Nequitiam crudelem, & execrabilem, quæ ipſum vitæ noſtræ auctorem perdere ſtudet! O Deus! quomodo tantum facinus ferre potes? &c.

Pars altera. Mortale peccatum conſiderandum eſt in maxime terribili effectu illius, morte videlicet Hominis Dei, cujus illud unice cauſa eſt; & poſt brevem, ſed acrem eorum expoſitionem, quæ Salvator pro nobis paſſus eſt, ut veniam mereretur, hæ deducendæ ſunt illationes. 1. Deum perhorreſcere, & odiſſe mortale peccatum, quandoquidem illud adeo ſevere punit in perſona dilecti filii ſui, qui ultro pœnam, & ſatisfactionem peccato debita ſubiit. 2. Si Deus adeo gravibus pœnis peccatum mortale puniit, hoc igitur graviſſimum eſſe malum dicendum eſt. 3. Si Deus adeo graves de filio ſuo pœnas ſumpſit propter peccata ſervi, qua ſeveritate in ipſum animadvertet ſervum propter peccata ipſius? 4. Si mortale peccatum cauſa eſt mortis Domini, fierine poſſet, ut Patris, & Redemptoris noſtri interfectorem diligeremus? &c.

Pars tertia. Denique mortale peccatum in effectibus ſuis conſiderandum eſt ratione hominis illud perpetranti. 1. Peccatum illum veris exuit bonis gratiæ ſanctificantis, habitu charitatis, omnibuſque virtutibus ſupernaturalibus. Animam privat pulchritudine ipſius, eamque efficit horroris objectum in oculis Dei, eidemque omnia præterita aufert merita, ac recentium acquirendorum facultatem. 2. Mala, quæ nobis in hac, alteraque vita parit.

1. Peccatum mortale, nefarium facinus eſt contra ſupremam Dei majeſtatem; oſtendendum eſt, ad quem uſque nequitiæ, & improbitatis exceſſum furor ejus evadat. 2. Temeraria eſt rebellio contra leges, & præcepta illius, quam impunem pati non poteſt. Vellemus jugum excutere, ac detrectare obedientiam, quam illi quatenus ſupremo rerum Domino debemus. 3. Injuſta prælatio eſt boni creati, ac perituri ſupremo, æternoque bono; & inde inferendæ ſunt concluſiones, quæ naturaliter ex triplici hac re ſequuntur, ut homines ad peccati fugam, execrationemque inducantur. II.

1. Peccatum mortale Deum lædit, & quouſque hæc injuria aſſurgat, necnon quomodo illius odium, & vindictam III.